

OTTHONIS SPERLINGII,  
*Consiliarii Regii & Icti,*

De

**N**UMMORUM  
BRACTEATORUM  
ET  
CAVORUM

Nostræ ac superioris ætatis Origine  
& progressu ,

Ad

*Reverend. Dn.*

**JACOBUM A MELLEN**  
Epistola.



**LVBECAE,**

Sumptibus Joh. Wiedemeyer, Bibliopolæ,  
M, DCC,

*PERQUAM REVERENDO CLA-  
RISSIMO ET DOCTISSIMO*

V I R O,

**DN. M. JACOBO**  
**A MELLEN,**


Ecclesiasticæ ad ædem Div. Mariæ  
Lubecensis

Optime merito, Integerrimo,  
Laudatissimo.

L. M. Q. D. D. D.

Autor.

Hanc



**H**Anc Epistolam de nummis cavis  
Tibi, *Vir admodum Reverende*,  
dicare ausus fui, quod & in re  
nummariâ & in omni antiquitate sis ver-  
satissimus. Nihil mihi jucundius, quam  
si Tibi placere intelligam. Habent hæ  
amoenitates inter doctos suum præsi-  
dium, decus, & tutamen. Non es ex  
iis qui abhorreas: Docent præclara Tua  
monumenta, quæ hactenus lucem vide-  
runt. Legi, quænam alii de Epistolâ  
Tuâ ad Dn. Sagittarium in hoc ipso ar-  
gumento Nummorum bracteatorum &

A 2 cavo-

cavorum prædicarunt, mihi videre non contigit. Non dubito, quin sint egre-gia, prout sunt Tua omnia. Hæc ansa, hæc occasio, cur hanc dissertatiuncu-lam & Epistolam ad Te mittere volui, Tuæque censuræ subjicere, qui jam præ-ivisti. Facilem & ingenuum me habi-turum Censorem confido. Si quid mi-nus ex Tua sententiâ occurrit, nolis stomachari: doctis enim scribo, quo-rum sententias placidè ferre soleo, & quantum licet tueri non desino. Te quoque facturum mihi promitto, qui dudum inter Eruditos principatum ali-quem obtines, sicutque a lollagine omni vacuus es, quam leviter tinti nondum concoixerunt, sed in alios expuere gaudent, quoties vel occasionem, nacti sunt, vel etiam cum nullam ha-bent. In singulari hoc argumento, quod a paucis hactenus excoli cœpit, non

non mirum si multa dissentientia prodere coactus fui. Exspecto, qui meliora & saniora scribent, ut habeam, quibus gratiam agam. Te Judicem si feram, & tuum calculum, non pœnitabit hæc scripsisse, qualiacunque tandem sint. Apage censores morosos & austeros & truculentos, quibus ne mea videant umquam opto: prædico quoque me talibus respondere non posse. Nihil enim illis tam bene dictum scio, quin cavillis & virgulis incessere possint, si velint. Habet hoc omnis eruditio, ut sine adversario marcescat: modò velitari contra nos vellent, non protinus occidere: semel perempta eruditio haud facile resurgit. Hostes hoc faciunt inimicissimi, virus omne evomentes & despumantes, non eruditii. Neque tamen quidquam hic dictum puto, quin rationibus suis nitatur, quæ si

non placent omnibus, displiceant pro lu-  
bitu, volo. Tibi, VIR ADMODUM  
REVERENDE, bene sit & familiæ  
Tuæ, inter prospera perennes, meaque  
grata habeas, & quamvis commendari  
non mereantur, illis tamen adquiescas.  
Animum in Te meum, non eruditio-  
nem ostendere volui. Valeas diutis-  
simè

*VIR PLURIMUM RE-  
VERENDE.*


Dabam Hafniæ,  
a. d. xxviii. Octobr.  
Ann. cccxcix.

Tibi Addictiss.  
mus  
O. SPERLING.

DE







D E  
**NUMMIS CAVIS.**



E nummis bracteatis  
pauca hactenus lucem vi-  
derunt, ideoque majores  
gratias debemus M. Joh.  
Christophoro Olario, qui  
isagogem ad Nummophy-  
lacium Bracteatorum Jenæ  
Anno ccccxcviii. editum cum docto orbe com-  
municare voluit. Quodquæ in fine ejus rogavit,  
ut qui possent observationes adderent ulteriores,  
mihi quoque dictum putavi. Et primò quidem  
monere duxi, ad nummos hos bracteatos & cavos  
non pertinere illos, qui aliquam cavitatem habent,  
licet cœtera cusi sint ab utraque parte; quales sunt  
nummi L. PISONIS FRUGI inter denarios Ro-  
manos:

manos: nanc enim cavitatem suam contraxerunt vel ab incude, vel a fusionibus & flaturis. Neque huc spectant illi nummi, qui ab unâ parte tantum cu- si sunt; cum alia sint satis solidi, quos antiquitas non ignoravit, quamvis inter rarissimos merito cen- seantur. Meminit enim talium etiam Pollux in Ono- mastico p. m. 434. ἐκ θαλέρες μάνες τελυτεῶδες τεττὶ δῆνομισ- μάτιον νοεῖσθαι. h. e. in altero solūm latere percussum hujusmodi nummulum scire oportet. Σύμβολον, seu tessera, nummum talem ait dictum fuisse quod daretur in signum conventionis alicujus, unde iu- nov & νομίσματα quoque vocat, *diniuidiam partem numis inatis* scil. cui. Est & mihi nummus talis parvulus uno latere cusus, cum corvo vel aquilâ, quem Bouthierouë inter Francicos nummos ad Lug- dumnum Gallorum refert, sculpturæ neque Romanæ antiquæ, neque hodiernæ, vetustatem tamen insi- gnem aliquam præferentis. Denarioli Brunvicen- ses, Zweyer dicti, quod duos denariolos solidi va- leant etiam uno latere cudi solent, & cavitatem aliquam retinent, a cylindro, cui suppositæ bra- teæ istæ notam suam acceperunt, sed propterea cavi non erunt appellandi. De illis igitur, qui & bracteati sunt & cavi nobis sernio erit. Et cum animadverterem de origine nummorum horum ni- hil hactenus cuiquam dictum, & pauca ista quæ sub  
finem

finem Olearius dixit c. 4. p. m. 25. non sufficere,  
Tecum hac de re, Vir admodum Reverende, per  
epistolam confabulari nihil nocebit, si non mul-  
tum juvat. Sic vero Olearius caput claudit.  
*Quando denique hi numini primum fuerint percus-  
si, nullibi certum colligere licuit tempus. Ex num-  
mis ipsis hactenus observatum, jamdum Othonis  
tempore tales fuisse formatos. Afferit quidem  
Frissus vetustiores, eosque etiam seculo III. IV. & V.  
post Christum natum: multi tamen ex curiosis sta-  
tuunt ante Otthonem nulos extitisse bracteatos.  
Puto ipsum ad Ottonem M. & seculum X. re-  
spicere his verbis, & verum dixit, ante illum O-  
thonem hos nummos bracteatos, & cavos non  
extitisse, quamvis ex nummo Bonifacii No. XVII.  
videatur pronus esse ad amplectendum etiam  
ante aetatem illam nummos bracteatos. Quid in  
re tamen fallitur, & cautissime addidit, *iste Nu-  
mus si esset Bonifacio coœvus.* Hoc enim ex isto  
nummo probari nequit solo Episcopi nomine,  
imagine, sedili vel throno Pontificio, lituo & li-  
bro aperto. Haec talia tantummodo docent istum  
Bonifacium Episcopum fuisse, non vero num-  
mum etiam Bonifacii tempore cusum, cum E-  
piscopus Moguntinus esset. Patroni enim Eccle-  
siarum & Urbium saepius innummis apparent*

κλειστής τε πέραν της percussis, ut ex variis hodiernis nummis demonstrari posset, si opus esset: Neque enim ille mos ubique desit, viget adhuc; in primis ubi Pontifica religio animis, ibi nummis quoque infidet; Et ex his ipsis quos produxit bracteatis idem facile colligere potuit. Nam No. XX. habet nummum, in quo legit S. MARTINU. CHRISTANU. ARCIEPC. N. Illud N. errore Typographi, nifallor, pro M. irrepsit. Nam dum explicat nummum, rectè posuit: Sanctus MARTINUS. CHRISTIANUS. ARCHI EPI-SCOPUS Moguntinus; At minus rectè assicutus videtur cœtera istius nummi: Arcus enim in medio est ipsum sedile cum pulvino, in quo sedet Martinus, & ante ipsum Archi-Episcopus Christianus in genibus cum lituo Archiepiscopali, jurans fidem Catholicam; & privilegia Moguntinensis Ecclesiae, in libro scripta quem pulpitudi tenet, se tutaturum. Sic ego nummum explicari debuisse censco. Is Christianus primus est, ut puto, qui sedidit Moguntinæ ab Ann. 1167. ad Ann. 1180. tempore nummi bracteati jam per Germaniam invaluerant. Non igitur ad S. Martini tempora referendus est hic nummus, Patroni Moguntinæ Ecclesiae, sed ad Christianum Archi-Episcopum, qui illum cudi fecit. Illud etiam indicat alter nummus bracteatus Erponis

nis Archi-Episcopi, quem ex Gudenii historiâ Erfurtensi No. xxx. adduxit, cum Inscriptione: ERPO ARCHI-EPISCOPUS SC. MARTINUS MAGUÑCIE DOMINUS. Hæc inscriptio mihi valde est suspecta: tum quod syllabis plenis & vocibus integris sit expressa, non dimidiatis aut tertiatis verbis, ut reliqui, præprimis cavi; tum quod ERPO præcedat, sequatur S. MARTINUS. quin & quod una pagina bracteati nummi aut ejus circuitus hæc omnia minimè capiat: sed ante omnia hic nummus falsi arguitur ex ætate Erponis, quem alii ARIBONEM dixerunt, qui ab Anno 1020. ad Annum 1031. sedi Moguntinæ præfuisse scribitur. Eâ ætate sanè nulli bracteati in Germaniâ fuerunt eusi, ut deinceps patebit. Apud Gudenum p. 18. aliter hic nummus describitur & delineatus exstat. Ne bracteatum quidem esse vel cavyum ullo verbo significavit, sed tamen formâ si-millimus est bracteatis; nec controversum id nunc faciam: neque enim nisi unam nummus paginam inscriptam more aliorum nummorum ostendit, quod bracteatorum est: & significat alteram nummi faciem cavitate suâ respondere literis & figuris existantibus in alterâ. Illic igitur in ipso templo superiore arcuato ejusquè medio stans, non sedens, conspicitur S. Martinus cum umbellâ sanctitatis ca-

put ambiente, quæ etiam accuratio non est ejus Seculi, in quo ERPO vixisse deprehenditur; nec nummi, licet cavi fuissent, tam distinctè & eleganter solebant tunc prodire, multumque apud me minuunt ætatem istius ERPONIS. S. Martinus itaque stans in summo eleemosynam dextrâ porrigit pauperi cuidam nudo jacenti in porticu templi ad latus dextrum. In alterâ porticu ad latus finistrum Clericus alius dimidius exstans usque ad genua respicit S. Martinum, ejus pedum tenens, aut simile quid; nam illud discerni non potest. Super porticus, singula ad latera summi templi ~~προσενέλεια~~ turres binæ, altera major, altera minor, templa, & urbem totam Moguntinam repræsentantia, quæ sub S. Martini tutelâ constituta erant. Inscriptio etiam ambit, ad latus finistrum, SC.-**MARTINUS** ad latus dextrum **MAGUNCIE DOMINUS**. Hæc igitur sunt interiora & summa templi loca, præter turres dictas quæ supereminenter toti ædificio. Et five arcus, five porticus appellare malis, five fornices, eodem res recidit, modo consideretur, his figuris adumbrari S. Martinum in summo templi interioris positum. Sequitur porta Templi sub pedibus S. Martini, in cuius medio Archiepiscopus visitur stans dimidius, (cum porta non nisi dimidia potuerit effungi, ut templi interio-

interiora eo conspectius delineari possent) tenens manu dextrâ, non pedum, ut Olearius putavit, sed vexillum Ecclesiæ, sinistrâ verò librum apertum, in altum sublatum, & populo quasi monstratum. In arcu superiore portæ hanc inscriptionem nobis Gudenius exsculpsit & legit ERPO ARCHI-EPI-SCOPUS. Hic nummus licet tenuis magnitudine sua thalerum unciam ex amplissimis superat & æquat: quod solum argumento esse potest, Erponis vel Aribonis temporibus nummum hunc non convenire. Unde crederem in nummo isto existisse ERHD. aut GERHD. pro ERPO. Literis aliquibus existentis aut obscuris. Nihil plane indicat Gudenius, an nummus hic integer fuerit in omnibus tam literis quam figuris, sed quasi nummos nunquam tractasset, ita quid obscurum, quid clarum in illis monere præterit & negligit; tam clarum fuisse tot literis quot ille eum expressit, ego nunquam adducor ut credam, sed Gudenium pro lubitu legisse, & nummo inscriptum. Nam si ERPO in hoc nummo fuit, illeque ERPO, alias ARIBO, ut ipse Gudenius explicat, nummus ille nequaquam ipsi convenit, aut ejus ætati, quæ incidit, ut dixi in ann. 1020. quâ nummi nec tales bræteati, nec tantæ magnitudinis, nec literis ejusmodi, prout Gudenius fecit, recentius ævum omnino spe-

stantibus, adhuc prodierant. Norunt enim omnes, qui antiquitatem non a limine salutarunt, literas plerumque monasticas ea tempora in Scriptiōnibus adhibuisse, & compendia scribendi quam plurima tam in membranis quam in nummis frequentata, atque ad principia superioris seculi multūm obtinuisse: quæ tamen in his nummis non visuntur, ideoquè ad Aribonem aut Erponem nullo modo pertinere possunt hi nummi aut ad Seculum XI. quo ille Archiepiscopus Erpo vixit. Inspiciantur nummi solidi argentei ejus ætatis, quam miserâ facie sint, quam dislocatis & monstrosis literis & hiulcis & decurtatis, ut Argi oculis ad unum omnibus opus sit pro illis comprehendendis ac legendis: & in nummis bracteatis, literas vix tolerantibus ac figurâs, eam accuratam scribendi rationem, qualis in Gudenii nummis apparet, Seculo XI. exspectare nos quisquam jubeat? Hæc mihi sanè non persuadentur, nec tam quæ Gudenius legit in suis nummis effossis attendimus, cum nihil facilius sit, quam seipsum legendο decipere, in primis cum Sententiæ prof runtur, quæ contra omnium autorum reliquo rum, & monumentorum fidem pugnant: ut hic ERPO, & EBERHARDUS in nummis Gudenii, quos nulla monumenta hoc nomine norunt

Archī-

Archiepiscopos, nec ex unico nummo, ut credo, male lecto, pro genuinis introduci possunt. Hos igitur Archiepiscopos, Erponem, & Eberhardum eundem esse, & ad Gerhardum I. vel potius II. referendos esse hos nummos judico, quorum primus ab anno 1251. ad 1260. sedissem memoratur, alter ab anno 1288. ad 1304. Sed & habitus in his nmmis idem Archiepiscopis, & tegmen capitis aut pileus aut mitra tam S. Martini quam Archiepiscoporum, coincidunt; Sed & magnitudo nummorum istorum eadem est fere nisi quod nummus cum S. Martini nomine aliquanto major sit, quam ille quem sub Eberhardi nobis dedit: ut nihil pronius occurrat creditu, quam hos nummos Erponius & Eberhardi nomine a Gudenio adductos unum esse Episcopum Gerhardum 2dum. Et effossi sunt hi nummi, cum anno 1635. pars moenium dirueretur Erfurti, ut fortius & stabilius repararentur. Exstructi erant hi muri & valla, ni fallor, circa annum 1430, cum Conradus Archiepiscopus esset, ut patet ex Gudenio p. 133. Miror itaque quomodo hi nummi braeati Erponis a seculo XI. ad Seculum XV. quo terram subierunt, hominum manibus non attriti aut disiecti & rupti quadringentos per annos manere potuerint tam integri; ne nunc dicam

cam de vigore & valore unius monetæ per tot secula, singulis Archiepiscopis suam monetam exercentibus, & vix ejus qui proximè præcessit unà cum suis tolerantibus vel admittentibus, nedum a tot Seculis nummos ut advocarent. Deinde, quomodo hi nummi bracteati tamdiu sub terrâ latentes potuerut conservari, & ducentis annis nihil omnino deteri, sed tam distinctè Gudenio legi ac si hodie cusi essent. Quis hæc credet? Farentur autem omnes, hos bracteatos terræ inseritos, nisi diligentius conserventur, plerumque corrumpi; & ratio ipsa hoc dictitat, illos ob tenuitatem suam facile dehiscere & perire. Sufficit igitur hæc ætas Gudenii nummis, si per seculum unum eos sub muris inter calcem & uliginem acrem ac rodentem concedamus latuisse. Sed & si eo tempore cœciores eos factos & obscuriores, nec faciles lectu dicamus, ipse Gudenius nolit diffideri ita se rem habere: atque ideo hos nummos ejus ætatis minimè esse, nec iis nominibus, quæ nobis obtrudere voluit, quod ipse sic eos nummos legerit. Qvæ nihil de ætate probant, cum testi de suis rebus deponenti impune credere non liceat. Quin & in illis describendis negligenter admodum versatus esse videtur, nullas circumstantias adjungendo, quæ fidem sculpturæ quam dedit, facere debebant, illam quæ illustrare. Sed

Sed dum in his sumus, etiam reliquos ejusdem Olearii nummos bracteatos quos produxit cap. vi. & qui notam aliquam temporis secum ferunt, examinando sumamus.

Occurrit statim primus, qui pro omni inscriptione solam literam A. præfert: quam ALBERTUM Landgravium Thuringiæ designare voluit. Largimur hoc. At ille erit Albertus Animosus, qui ab Anno 1443. ad 1500. vixit: quo tempore nummos bracteatos in Germaniâ viguisse nullum est dubium.

Sequitur AGNES ABBATISSA No. v. vi. & vii. ubi nos ad Chronicum Montis Sereni remittit. Sed multò clarius alterum Chronicum, Pagiense, nifallor, loquitur, subjunctum a Madero Chronicō Montis Sereni. Ejus verba sunt p. 266.  
*Anno 1148. obiit Adelheydis Abbatissa Gandersem ē Quedlinburg. Agnes soror Othonis Marchionis de Misniā de Gerpfst ad sumta eligitur in locum ejus. Erant Ottho & Agnes patre progeniti Conrado, quem Lotharius Imperator Marchionem Misniæ constituit, ex Vethinenibus ortum. Illa verò actas etiam satis congruit nummis in Germaniâ bracteatis.*

Brunsvicensis cum leone erecto No. ix. *Huius nummo additi sapius numeri annorum, scripsit C Olea-*

Olearins: utinam addidisset! Nullum talem unquam vidi. Sed certus sum, si res ita se haberet, ante Seculum xv. cūsum non esse. Vidi alijs Henrici Leonis nummulum argenteum cum eodem leone, sed non adest annus quamvis ætas ejus nummis bracteatis conveniat. Exstat apud Meybonium in notis ad Bullam Andronici Imp. Cpolitani, p. m. 2II. edit. primæ cum inscriptione HEINRICUS LEO DUX & referri potest ad An. 1180.

Accedo ad Bernhardum Ducem Saxoniæ No. XII. qui non est Bernardus Hermanni filius ex Billingia familiâ, cuius ætas nūrmos hos bracteatos nescivit: sed pertinet ad Bernhardum Ducem Saxoniæ Ascaniæ & Ballensteti Comitem, qui Ducatum a Friderico Barbarossa Imperat, obtinuit Henrico Leone dejecto, circa ann. 1180. Is ann. 1212. obiit. Potest etiam pertinere ad Bernhardum Erci III. filium, Ducem Saxoniæ, qui ab Ao. 1426. a fratre Ducatum excepit, & peste obiit 1463. Sed malo Bernhardum priorem, imprimis si argenti est puri, quod multi bracteati Ducum & Episcoporum Seculo XII. illaque ætate Bernhardi dictâ reperiantur.

No. xxIII. Conradus Archiepiscopus Moguntinus recensetur, qui Anno 1197. post Christianum ad Cathedram illam rediit, depositus ante 1163. cum

cum vix binis annis sedisset: obiit autem 1200. ita ut nummus ille ad hos annos pertineat, & fortasse præcedentes etiam No. xxI. & xxII.

**ERNESTUS & ALBERTUS**, quos significari voluit No. xxvi. erunt, ni fallor, filii Friderici II. Electoris & Ducis Saxoniæ, qui simul a Conrado de Kauffungen ex arce Aldenburgenſi rapti fuerunt Ann. 1455.

**No. xxxII.** Fridericum, Johannem & Georgium, Saxonicos, qui simul fuerint, nondum reperi. Nec Farimannum de Lopdeburg No. xxxI. ullibi investigare mihi licuit.

**No. xxxIV.** Fridericus Imp. satis se explicat, cuius ætatis sit, & ad Fridericum II. potius pertinet, quam ad primum, propter insignia imperii quæ præfert.

**No. xxxv.** MULEHUSIENSIS DENARIUS. Illi libertatem a Friderico II. Imp. se consecutos indicare voluerunt, sed non propterea Friderici II. ætate hunc denarium cūsum dicere licebit. Haud enim nummi eâ ætate tam integris & expressis vocibus conficiebantur, multò minus bracteati. Hinc est quod illum referam ad Seculūm xiv. nec ætatis majoris esse puto. Et minoris etiam statuerem, nisi adesset vox DENARIUS, quæ ætatem illam spectat. Nondum enim monetæ nomen didicerant

rant nummis inscribere Christiani, ex quo DEAM MONETAM in nummis Romanorum deseruerant. Seculo xv, primum in nummis iterum MONETÆ nomen prodiit alio sensu quam inter Romanos, ut Seculo xvi. MONETA NOVA. Unde nummum majusulum qui mihi est, cum Leone insigni ad dextram verso currente, & lilium sub pedibus habente, qui præterea multa in circuitu inscripta habuit, nunc autem exstincta, ut ex vestigiis superstitibus nihil colligi possit, nisi MONETA - - - - - literis monasticis ad idem Seculum traho. Est argenti purissimi. Exstat etiam hic nummus cavus argenteus: in Clarissimi ac Doctissimi Viri Dn. Johannis Laurentii rarioribus, XII. assium Lubecensium amplitudine: in quo Lupus gradiens expressus, elegans, facit ad sinistram obversâ, & in circuitu literis Monasticis clare & perspicue inscriptum servat: MONETA DE PEINE, quem nummum propterea ad Seculum xv, refiero. Erat hic locus Castrum & Comitatus vel Dynastia, postquam ad Hildesensem Ecclesiam pervenit, Anno 1260. eo modo quo Buntingius in Chronico suo Brunsvicensi narravit, ad quod usque tempus Comites suos proprios habuit, jamdudum ab Henrico Leonis temporibus notos & ab Anno 1192. Gerhardus Stederburgensis in Historiâ sua de Henrico Leon-

ne,

Fig. I.

Fig. II.

ne, quam edidit Henricus Meybomius & notis il-  
lustravit, eorum meminit, LUDOLFUM DE  
PEINA nominans, & tenuerunt ejus descenden-  
tes, usque ad Bernhardum, qui hanc terram Hil-  
desiensis Ecclesiae tradidit & Johanni Episcopo, ut ab  
obsidione liberaretur anno jam dicto. Hic igitur  
nummus spectat ad tempora, quibus subsuit Ec-  
clesiae Hildesiensi, & sub eâ floruit: *Insignia Dy-  
nastiae Peinensis*, prout commentatur Meybomius  
fuere in area sive campo albo, lupus niger, rictu  
expanso, duobus manipulis avenæ inclinatis quasi-  
q; ruentibus incumbens. Hi manipuli in nummo  
nostro non apparent, ideoq; ad inferiorem æta-  
tem quoque transcribendus venit: mutantur enim  
cum tempore insignia. Pergit vero Meybomius:  
*Meminit Cyriacus Spangenbergius in speculo Nobilitatis l. 12. c. 35.* Hæc insignia inter cætera cer-  
nuntur appicata curia urbis Hildesiensis, &c. At  
quod majoris sit hic nummus, quam reliqui ejus  
generis, qui a Civitatibus ceduntur, causa est,  
quod Comitatus aut Præfectura integra sit Peinen-  
sis, ideoq; maiores nummos cedendi jus naæta.

Sequitur apud Olearium No. xxxvi. Georgius Nauniburgensis Episcopus ex familia Haug-  
witziæ Secula xv. creatus est, eoq; pertinet.

## DE NUMMIS

No. xxxviii. Henricus, qui Cizerensem se nominat, licet jamdudum a Cizâ Naumburgum translata esset sedes Episcopatus illius: Pertinet autem & ille ad xv. Seculum. Dictus est Henricus Stammier.

No. xxxix. Guntherus Henricus ex Schwartzburgica familiâ adducitur: Sic enim G. H. literas Olearius satis feliciter explicavit. Si unus homo intelligitur gemino nomine, non illum offendit inter Schwartzburgicos. At si eo nomine fuit quisquam illorum Comitum, nummus hic non magnæ est ætatis: cum gemina prænomina imponere Seculum xvi. priùs docuerit: & in Schwartzburgica familia primus gemino præ nomine legitur HENRICUS WILHELMUS, Henrici Comitis filius, qui natus 1539. puer etiam obiit. Sed si distincti Comites, GUNTHERUS & HENRICUS censendi veniunt, nummus iste pertinebit ad Guntherum qui An. 1403. Archiepiscopus Magdeburgensis creatus obiit 1444. & ad ejus Fratrem Henricum qui 1488. obiit, filios Guntheri Comitis, qui decessit ann. 1416.

No. LIV. & seqq. Ludovicus Comites Provinciales Thuringiæ repræsentantes, pertinent ad ætatem Friderici I. Imp. & anno. 1190 circiter, vel serius Gudenus p. 31. nummum unum protulit  
cavum

cavum ad hos Ludovicos spectantem , grandem, thaleri uncialis magnitudine , & ampliore, ubi Comes equo insidet scutulato , armatus , galeatus & sinistrâ scutum præferens , dextra vexillum pedibus calcaria , a tergo ejus rota. Superius e regione sibi invicem oppositæ visuntur duæ arces seu castella turribus adumbratæ & muris cinctæ. Inscriptio hæc incircitu. LUDEWICUS PROVINCIALIS COMES DE ISENAC. Non ego Gudeno assentior nec Frisio in speculo suo monetario , qui nummos hos ad Ludovicum III. primum Landgravium Thuringiæ a Lothario Saxone creatum , ut generum suum , trahere voluerunt , ab anno 1130. ad 1140 quando mortem oppetiit , ut Paulinus memorat , p. 20. in Annalibus Isenacensibus. Secuti enim sunt Ludovici alii ejusdem prosapiæ , quibus hic nummus rectius convenit. Vellem ad Ludovicum v. Comitem Provincialem Thuringiæ , Fratrem Hermanni Palatini Saxoniæ referre , qui cum Friderico. I. Imperatore in terram Sanctam expeditionem suscepit , & in Syriâ ἀπαντα occubuit circa ann. 1191. Hinc quoque cum vexillo in hoc nummo conspicitur , proculdubio S. Georgii , cuius Sancti insignia oppidum Isenacense retinet , ejusque effigiem inauratam in foro civitatis , Mittwochen Markt dicto , positam habet. Primariam quoque plateam

plateam Isenacenses S. Georgii vocant, & Portam Urbis; & Suburbium totum eodem S. Georgii nomine pergit insigniri, ita ut S. Georgii sub illo Ludovico plura signa & monumenta cœperint propalari, quam prius. Tunc sanè ISENACI nomen primum in Monumentis reperio. Exstant apud Paulinum p. 31. literæ Hermanni Comitis Provincialis, Isenacum disertè nominantes. *Frater noster E in Principatu Provincialis Comitia Antecessor Landgravius* (Hic est Ludovicus V.) *pro remedio animæ sua suorumque parrogiam Ecclesiæ S. Nikolai in Tsnacho famulibus Christi &c.* donavit. Hoc primum est monumentum quod Isnaci nomen habet Ann. 1191. ab Hermano, Fratre hujus Ludovici, datum. Idem ille Ludovicus S. Georgii templum Isnaci erexit Anno 1190. ut idem Paulinus docet, erat enim ille Georgius, & Sanctus, & Martyr, & Miles, Patronus Ludovici. Et quod Ludovicus hic multum Isnaci versatus sit hæc commonstrant, adeò ut non frustra in hoc nummo aditum reperiatur; DE ISENAC, vel ex causâ jam dictâ, vel quod ibi natus sit forsitan, ac primas luminis auras hauscrit, ita ut natali loco suo his peculiariter obstrictum & addictum se significaret. Ætas præterea dicti Ludovici & nummorum bracteatorum melius omnino quadrat quam Ludo-

Ludovici III. Hoc etiam indicant binæ illæ arces, sibi oppositæ, in montibus veluti, tam sublimè constituti, quas Isenacum & Rudolfsteinum e re- gione Isnachburgi conditum significare credo, ut habet Paulinus p. 49. quæ cum aliis destructa sunt circa ann. 1259. quando Sophia Hassiaca cum Alberto Brunsuicensi contra Marchionem Misniæ bella de Thuringiâ gererent. Quâ ratione, hæ arces sic sibi oppositæ suadent, ut ad Ludovicum VI. potius Landgravium Thuringiæ, hunc nummum referre malim : nam ars Rudolfstein ejusqùe nomen hoc indicare videtur, quæ a Rudolfo Fratre Berenthin- gi de Cruceborg nomen accepit, qui illam arcem construxit. Neque enim ante Rudolfi nomen in his familiis observatur. Cœpit autem Ludovicus vi. Hermanni filius anno 1217. regnare, natus 1200. Eques auratus verò creatus est ille in templo Sancti Gergii Isenaci die Kiliani, vel, ut alii volunt, Pe- tri & Pauli ann. 1219. Et hoc demonstrat vexil- lum ac calcare satis non conspicuum in pede dextro nummi. Matrimonium contraxit 1221. cum Elisabetha Andreæ Regis Hungariæ filiâ. Ao. 1227. in terram Sanctam abiit, Fratri Henrico regimi- ne tantisper concredito. Sed Brundusii febre cor- reptus Hydruntum veniens exspiravit die 27. Sept. requiescit Reinholdsbornæ ; quo ctiam Patruus

Ludovicus v. ex Syria translatus fuit. Sive igitur ad Ludovicum v. sive ad Ludovicum vi. Landgravios hunc nummum referas, perinde est, convenit enim utriusque. Mihi tamen placet ad Ludovicum vi. trahere propter arcem Rudolfstein, quæ Isenaco e' regione ponitur, & in nummo pulchre etiam exprimi videntur eodem situ, quam sub Ludovico vi. structam a Rudolpho prius dicto, non sub Ludovico v. quantulum ego judicare potui, censeo. Nec rota post tergum Principis apparens, quidquam ad ætatem nummi designandam facit. Tenuerunt enim semper Landgravii ab Ecclesiâ Moguntinâ Feuda Nobilissimâ, quorum gratiâ rotam Moguntinam omnes ostendere poterant, si non ad feuda, ad dioecesin tamen respicientes, sub quâ comprehendebantur, & juris non parum à majoribus sequè ipsis, ob beneficia summa, quibus illam Ecclesiam obstrictam habebant, in se derivatum sibi superesse noverant. Nihil enim aliud vult hæc rota, quamvis Gudenus ex illâ Landgraviis Moguntinis subjectos inferat, qui fastus est Ecclesiaticorum Romanæ Ecclesiæ, omnes omnino Principes corumqùe dignitates ab ipsis fluxisse persuadere conantes. Verum sanè est insignia in Principum aut Regum nummis serò comparere. Hinc est, quod neque Ludovicus hic vel in vexillo, vel in

scuto, nec in vestibus aut armis insignia ulla gerat aut ostendat in hoc nummo. Sed quod rota, veluti ~~diuītēns~~ a tergo hujus Principis pendeat, nullâ thecâ vel tutelâ circumdata, sed liberâ, sola, & nuda, satis indicat, Ecclesiasticorum morem, his ornamentis & insigniis uti apud Christianos, quibus Ecclesias suas distinguerent, antiquorem esse quam Principum Secularium, quos vocant, eosque his prævisse in illâ insignium hodiernorum materiâ. Meminit & Frisius alicubi in speculo suo horum nummorum, qui rotam Moguntinam a tergo positam habent. Sed & l. i. c. xi. nummum memorat cui inscriptum : **LUDOVICUS PROVINCIALIS DE CINDA.** Malè, ni fallor, legisse videri potest : nusquam enim hic locus, CINDA, reperitur & tamen ad unum ex Landgraviis Thuringie Ludovicum pertinuisse credo, non vero ad Ludovicum primum Landgravium, ut Frisius censet, & Gudenus eadem lyrâ oberrat ut audivimus.

Sed pergamus in nummis Olearii No. Lx. & LXII. Lutgerum vel Lotharium Imperatorem denotare videntur, qui ab Anno 1125. ad 1138. imperavit. Dicam de iis adhuc inferius.

**No. xc. & xci.** Otthonem Imp. designant, sed quartum, nec ad priorcs Ottones referri poterunt,

runt, quod tunc nummi bracteati per Germaniam nondum vigerent. Ottho autem hic, ut notum est, ab An. 1208. imperavit.

No. cx. **Wilhelmus Dux Saxonix.** Hunc esse puto **Wilhelnum III.** Fratrem Friderici II. Electoris circa Ann. 1460.

De coeteris Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus eorumque ætate nihil dico, quod corum nomina multis sint communia, nec locus sedis aut Ecclesiæ, aut Cœnobii additus in istis nummis reperiatur. Unde certam nullam temporis notam elicere possumus.

Ex hoc igitur nummorum bracteatorum numero, quos collegit Dn. Olearius, qui certam aliquam ætatem eliciendam nobis præbuerunt, ante **Seculum XII.** nullos Germaniam nummos bracteatos edidisse, aut in usu habuisse constat. Lutgeri aut Lotharii nummus inter hos omnes antiquissimus est, quos produxit, nec facile antiquiores dantur. Olearius hunc laborem nobis minuisse poterat, qui plerosque hos nummos inspexit, meliorque ipsi de illis judicandi copia, & feliciores propterea explicationes adjungendi fuit; nataque ipsi materia fuisset, de origine horum nummorum certius quid inferendi, quod ejus loco nunc præstare coacti sumus.

Habent

Habent & in Daniâ nummos tales bracteatos  
 Arhusiensis, Ripensis, Alburgensis, Randusiensis, <sup>Fig. III.</sup>  
 Hiöringensis & Horstiensis <sup>IV. V.</sup> Civitatum sed & unus <sup>Fig. VI.</sup>  
 & alter eorum SUENONIS Regis nomen præfert, <sup>VII.</sup>  
 quos quidem ad Suenonem Tuifues Keg seu furcatæ <sup>Fig. VIII.</sup>  
 barbæ, aut ad Suenonem Elshritium trahere volue-<sup>IX.</sup>  
 runt aliqui: Sed prohibet nummorum bracteato-  
 rum ætas jam dicta, & deinceps ulterius illu-  
 strandu. Hic vero Sueno, ad quem num-  
 mos istos referto, ultimus fuit Regum Daniæ hoc  
 nomine, quem alias GRATHE & GRATEHEIDE  
 cognominarunt, filius Emundi Regis. Ille regnum  
 tenuit ab Anno 1148. usquæ ad 1156. unà cum Kanu-  
 to filio Magni, & Voldemaro primo, ad quem solum  
 deinde regnum rediit. Nihil hic nummus continet,  
 nisi in medio caput Regis imberbis, mitra Regiæ  
 insignitum, ad dextram versum anterius inscriptum  
 G V E N O a tergo REX. Nummus ex minoribus,  
 assis Lubecensis majoris magnitudine, quod etiam  
 indicat a civitate quadam hunc nummum percus-  
 sum, Reges enim majoris moduli nummos produ-  
 cebant. Viberga fortè in Iutia, nunc Viburg/hunc  
 nummum cudit, illa enim civitas etiam in altero  
 nummo solido cum Suenone Rege ponitur. Et  
 dum civitates Daniæ videmus jus monetandi ha-  
 buisse, vix poterunt hi numimi Suenonis aut ad Seu-

Fig.IX.

nonem Tuifues Keg aut ad Suenonem Esthritium pertinere, quod illorum tempora civitates nullas ad jus monetæ admissas prodiderint. Alter ille numerus hujus nominis itidem bracteatus est, ejusdem Regis, ejusdem magnitudinis, nihil continens nisi crucem liliis in extremitatibus ornatam, inter cuius quadratum hæ literæ, S. V E. N. O. quod est SVENO. Hunc nummum ab ipso vel a civitate quadam cusum puto, cum nondum de Regno cum Canuto & Voldemaro transgessit, ideoque nec REGIS nomen additum, nec Regiam effigiem expressit: nisi ad Episcopum quendam Daniæ trahere malis, vel Suenonem Arhusiensem, qui ab 1180. aliquot annis sedet, vel Suenonem 2. Arhusiensem, qui ab 1326. ad 1352. floruit, vel Suenonis Burglaviensis atatem, qui 1370. sedet. Nam utroque modo nummus ille potest intelligi tam de Rege, quam de Episcopo. Mihi magis placet ad Episcopum referre, propter crucis insigne, quae se solent exprimere. Sed adhuc aliud occurrit dubium circa Suenonis Regis memorati nummos hos cavos, quod sine barba in illis conspiciatur, cum in reliquis ejus nummis solidis reperiatur barbatus, & quidem barbâ maximè in acunien delinente. Neque enim Suenonum aut Canutorum aliquis, quorum nummos habemus, absque barba

ba vixit. Cui rei nullam causam reperiēre possimi aliam, qnām Monetariorū moribus in Angliā, ex quā primos suos Dani habuisse videntur, hoc factum. Ille enim plerumque sine barba Reges suos in nummis expresserunt, præsertim in cavis, in quibus barbatos non amabant; nec decorum esse, nec moris inter elegantiās nummorum recepti credebant. Eadem ratione in nummis Germanicis reperiuntur sculpti, rarissimè cum barbā, ut ut maiores nostri illam amarent & colerent, ut ex variis exemplis & historiis manifestum reddere possemus, si hoc nunc agere liceret: Sunt autem mihi peculiares de comā & barba veterum Septentrionalium & Germanorum notæ.

Habemus etiam similes cum inscriptione [ANUT. REX. quem aut Canutum Voldemari I. filium, aut Canutum potius Magni filium esse dixerim, quem Sueno Grathe in convivio Roschildiæ instituto trucidari curavit Ann. 1156. Illi namque præ Canuto Voldemari numimum tribuo, tum quod simillimus sit Suetonis jam dicto nummo, & formā, & magnitudine, & inscriptione & habitu, & positurā: tum verò etiam, quod sub Voldemaro & Canuto ejus filio nummos illos bracteatos cavos nondum observaverim, licet inciderim in bene multis eorum solidos. Nec ad Canutos priores trahere licet

licet huc nummum, quod unica Syllaba me docet  
 hujus numimi, quoniam [ANUT. scribitur & expri-  
 mitur quod in cœteris est non nisi KNUT. atque  
 ita Dani adhuc pronunciant illud nomen, Knud  
 appellantes. Sed Latini & Ecclesiastici illud efferre  
 cœperunt CANUTUS. Ita Canutus M. Daniæ &  
 Angliae Rex in Anglicis nummi's sæpius sculptus re-  
 peritur KNUT REX ANG. & [NUT. quod me-  
 minerim. Perstiterunt autem in Daniâ sub Regibus  
 ex Oldenburgica familiâ nummos cavos procu-  
 dere. Effossi sunt, qui nihil nisi literam C. ex-  
 stantem in medio coronatam habuerunt, ita ut  
 nescias an ad Christianum I. an vero ad Christianum III.  
 referri debeat: ego ad Christianum III.  
 malo, quia litera illa C. non est monasticæ for-  
 mæ, ut solebant Christiani primis temporibus;  
 quamvis hoc in nummis non sit perpetuum, ubi  
 tam monasticas quam Romanas sculptas observa-  
 re licet, unius licet Principis & Domini. Est enim  
 & fuit semper nummorum lingua & scriptio pec-  
 cularis, & in multis a vulgari discedens. Ve-  
 rum & ideo Christiani III. esse judico, quod non  
 solùm in auro & argento, sed & in ære puro re-  
 periantur. Non vero solebant hi bracteati ex ære  
 mero signari, sed Seculo XVI. etiam illud invaluit,  
 cum hactenus non nisi in auro & argento, vel ar-  
 gento

Fig.XI.

gento mixto & impuro cuderentur. Antiquiores enim æreos meros & cavos vix quisquam dare poterit: cum nulla causa sit, cur æreos in tam tenues laminas ducere necesse fuerit. Nostrorum temporum avaritia, etiam hos produxit & producet.

Reperiuntur etiam alii cavi cum insignibus tam Oldenburgicis quam Holsaticis junctis, ita ut Fig. XII. urticæ folium dimidium & trabes Oldenburgicæ cohærent, unumque faciant insigne. Argenteus est hic nummus cavus, sed argenti minus puri. Et quis Regum primus insigne tale concinnarit, non est quod dicam, cum nummuli isti non ostendant nisi nudum illud insigne, eo, quo dixi, modo, nec in solidis nummis aut alibi occurrat; ideoque inter rariissimos horum locorum merito recensetur.

Novum quoque genus horum nummularum bracteatorum oblatum mihi fuit, ab utraque parte cavas & extantes figuræ simul representantes. Tales aliquando vidi in argento apud Clarissimum Virum Dn. Henricum Sivers Matheos, dum vixit, Professorem Hamburgi Celeberrimum. Sed & occurrerunt hic Hafniæ, ubi nunc scribo, tales nummuli argentei, & apud Clarissimum Dominum Johannem Laurentii, Antiquarium insignem, & apud alios: His in utroque latere sunt figuræ extantes aliæ, & cavæ rursus aliæ, sibi in vicem mixtæ,

ut ærc nequaquam exprimi possint, qui magis confundant & obscurent quam elucident. Quæ in uno latere exstantia sunt, in altero cavitate suâ conspicua cernuntur. Sunt minutuli & tenuissimi, nullius fere ponderis, unus eorum hoc modo:

 tanquam si cruces & patibula essent. Hæc exstant & cava sunt in utroque latere. Alter nummulus adhuc minutior caput humanum habet & dimidiā lunam, vel arcum, & signum caudæ draconis hoc fere modo  figuris exstantibus in triangulo, quæ cavitatem continent aversâ parte. Sed aversa pars has figuræ habet exstantes  quæ rursus in primo latere cævæ sunt. Ad 

Talismannicos si referas hunc numimulum, non multum puto aberrabis, qui sub peculiari fidere & conjunctionibus cudi solent; eoquè signa illa cœlestia in primo latere tendere videntur: & gladios ac malleos in secundo latero conjunctos, successu optimo tractari in his siderum conjunctionibus indicare voluerunt. Ita mihi videtur, salvo aliorum judicio. De pictos hos binos nummos, olim a me visos & descriptos, dare potuisse, modò impetrare jam illos licuisset, utpote qui dudum alios naëti suut dominos. Et licet hæc non specent ad originem nummorum bracteatorum, memorare

morare tamen volui, quod nemo haec tenus de tali modo bracteatis vel cavis monuerit. Atque sic de nummis his bracteatis etiam apud Danos notissimis constat. Quibus jungo notaru dignissimum ex argento purissimo nummulum bracteatum, qui unicam literam  coronatam exprimit: & pro-

cul dubio ex **M** nummis Margaretæ Reginæ supereft, quæ a Seculo xiv. ad xvi. initia tria re-

gna Septentrionalium tam feliciter rexit, exce-  
dens Anno **c*ccc*c*xii***. Est & alius mihi parvulus

purissimi argenti, qui nihil continet nisi  figu-

ram talem, inventus hic in Selandiæ colle quodam.

Figura ista accedit ad literam M. more veteri for-

matam, & stellam habet infra inter pedes literæ.

Hunc quoque nummuni ad Margaretam traho Re-

ginam, donec aliter crudiri possum. Produxit &

Schefferus in suo Tract. de tribus coronis, numi-

mum cavum hujus Reginæ fig. 36. Nullam ra-

tionem addit, cur Margaretæ Reginæ tribui de-

beat, nisi quod vultu fœminino sit; quem tamen

**cx** figurâ ipsâ non licuit mihi observare, quoniam

capilli additi sunt fluentes ad humeros, ut in ma-

sculis solent: ita ut Alberti Regis potius esse vi-

deatur, quam Margaretæ Reginæ. Corona quo-

que imposta aliquod indicium facit, non esse fœ-

Fig. XIII.

Fig.XIV.

minæ Reginæ, sed Regis. Regum enim coronæ, licet apertæ, maiores semper fuerunt, & verticem capitis totum ambiebant, cum Reginarum coronæ fuerint minores & turritæ, vixque verticis partem ac orbem minorem tegebant, ut apparet ex multis sculpturis Reginarum: quamvis non negem apud Resenium, ex ipsis sigillis Reginæ Margaretæ, coronas capiti impositas ejusdem magnitudinis & formæ cum Regibus ipsis sculptas esse, quod peculiare est in hac Regina trium Regnum, quæ talem coronam merebatur: nisi si quid in his manus sculptorum, quæ nimis quam liberæ sunt, mutarunt, non intelligentes, quid corona Reginæ a Regis diademate distet, ut patebit aliquando ex meis annotatiunculis de Coronis aureis. Alium quoque produxit nummum Reginæ Margaretæ Schäfferus ibidem fig. 37. quem quoniam ipse suspecti postulavit, & ad cavos non pertinet, nunc non examini subjiciam hoc loco. Sunt in eo multa imposturæ recentis indicia, quod sufficit animadvertisse.

Nec in Norvegia Reges & Provinciæ hos nummos ignotos habuerunt. Exstant in multorum Nummophylaciis, eorum quoque bracteati & cavi. Plures mihi ostendit aliquo Vir Generosissimus & Nobilissimus Dn. Holgerus Parsbierg, quon-

quondam Consiliarius status & nomine Augustil.  
Regis Christiani V. Judex Provincialis per Selan-  
diam, qui Nidrosiæ inventi fuerant in altari quo-  
dam, & a quondam Per Illustri Viro Dn. Oweno  
Juel Cancellario Regni Norvegiæ, ac Antiquita-  
tum harum longè peritissimo ad ipsum pervene-  
rant: inter quos unus præferebat cum cruce tran-  
seunte in ejus quadratis has literas: NI. NI. NI. Fig. XV.  
NI. quibus NIDROSIAM, nunc Trondheim,  
expresserunt. Exstat & similis numerus alter, non  
cavus argenti tamen puri & tenuis, in cuius fa-  
cie prima caput Regis mitratum & barbatum; &  
circumscripsum legitur REX SVERUS MA-  
GNUS: in aversa crux transit, & NIDROSLA Eig. XVI.  
rursus per NI. NI. NI. NI. exprimitur, quæ  
nos docent Sverum Regem Norvegiæ hos num-  
mos ipsis cedendos commisisse & concessisse.  
Vixit & regnum tenuit hic Sverus, Sigurdi filius,  
ab Anno 1178. ad Annum 1202. quæ ætatem horum  
nummorum in Dania, Norvegiâ & Sueciâ ob ocu-  
los ponunt, & quomodo consensu quodam tacito  
introducti sint tam in Germaniam, quam in  
borealiores partes, eodem ferè tempore. Alios  
itidem minusculos, argenti tamen purissimi, idem  
ille Generofissimus simul ostendit, qui juncti fue-  
rant prioribus, in quibus litera sola A. & ASLO- Fig.XVII.

**ENSIS** civitatis nummulos significari credo: alii  
**Fig.XVIII** B. literam expressam habebant, & **BERGENSIS**  
civitatis significari verum esse potest. Quoniam  
ad eo minuti sunt, Civitates olim eos percussisse  
vero mihi simile videtur. Nam **Archi-Episcopo-**  
**rūm**, **Episcoporum**, & **Abbatum** nummi hujus  
generis, majoris moduli sunt, & secundum di-  
gnitatē illorum in ampliorem formam exten-  
suntur.

Et ideo in pondere quoque diversi sunt hi  
nummi cavi. Nam qui puri sunt argenti, in iis  
21. & 25. granorum tritici nostri pondus reperias  
plerumque, sed & minus in multis **Episcopalibus**  
& **Archi-Episcopalibus**. In Civitatum vero num-  
mis argenti puri, non ultra x. grana potui reperi-  
re, aliquando quoque minus ut in **Asloensibus** &  
**Bergensibus**. **Nem** laquor de illis, qui ex argen-  
to & ære mixturam receperunt, ilii enim pondus  
hoc non semel superant.

Vidi quoque Suecios bracteatos & cavos,  
ad eo ut nullibi non reperiantur hi tales. Produc-  
xit unum minimum Joh. Schefferus in libr. de insi-  
gnibus regni Sueciæ tab. A. n. 6. quem scribit p. 81.  
argenteum esse, tenuem instar chartæ ab unâ tan-  
tum parte signatum, sic ut in uno latere signum  
promineat exterius, in altero cavum intus rece-  
dat.

dat. Signum exhibet literam A. vetusta ratione formiatam, cum coronâ majore in apice, & utrinque a lateribus unâ minore, atque sic in universum coronis tribus. Videmus hunc nummum cavum esse, & tenuem, sed ex minusculis. Inter rariores illum rectè ponit ob formam peculiarim; at ob antiquitatem, quod addit, non opus erat pretium ejus augere. Colligo exinde Schefferum nescivisse ad quem pertineat iste nummulus, nam non negabo Sueicum esse, quem cudi curavit Albertus Rex Sueciæ, qui illam rex ab Anno 1363. ad 1387. prout indicat non solum illud A. monasticum, quod in medio est coronatum, sed & forma ista tria coronarum, quæ in aliorum Sueciæ nummis nusquam talis est, indicium certum facit, Albertum Regem autorem esse. Solus ille duas coronas minores fecit tertiam, respiciens ad regna, Ostgothicum & Vestgothicum minora, Suecum vero, ut majus: quod etiam apparet ex nummis ejus solidis, quos idem Schefferus tab. A. fig. 7. produxit. Ambo nummi Alberti Regis sunt, quod epigraphe omnibus literis nomen ejus exprimens statim ostendit: ALBERTUS REX. ambo etiam, & hic in altero latere, coronas tres præferunt, quarum duæ superiores tertiam inferiore minores existant. Præter eum nemo coronas ita distin-

distinxit, sed æquali magnitudine cernuntur ubique positæ, unde & Tab. C. fig. 16. quæ inclypeo exstant tres coronæ ad Albertum hunc spectare judico, quod superior corona illic major sit duabus reliquis ipsis subjectis.

Magno satis numero effodiuntur in Septentrionalibus hisce terris hujusmodi numimi cavi argenti puri & argenti mixti. Mentionem tamen adhuc faciam de numimulo bracteato Hamburgensium, qui penes me est, cum tribus turribus & folio urticæ, in inferiore parte mediæ turris, cum quo insigni quondam nummos suos procubabant illi, ab Holsatiæ Comitibus se jus monetandi & alia jura sua accepisse se significantes. Hi autem bracteati & cavi illorum circa Ann. 1336. primum coeperunt, nam ante annum 1325. Hamburgensi Civitati suo nomine nummos cedere non erat concessum, sed si quos cudebant, sub Comitum Holsatiæ nomine, ut Dominorum suorum, prodibant. A solidis igitur denariis vel schillingis, tunc cedere permittebantur, devenerunt ad nummulos illos bracteatos, circa dictum tempus, & peculiari nomine *Veerlinge* vocabantur, quod quatuor bracteati argentei unum solidum vel schillingum efficerent. Hæc res magnas turbas excitavit inter Clerum & Senatum P.Q. Hamburgensem,

Fig. XIX.

Clero

Clero quiritante, oblationes solitas quartā parte  
jam sibi diminui his numimis, cum, qui antea  
solidum offerre solebant, nunc non nisi Veerlin-  
gum talem tribuerent; civibus gaudentibus, in-  
primis pauperculis, onus illud sic imminutum,  
quorum etiam causā hi nummi fuerant introducti.  
Quamvis enim numimulos æreos etiam haberet illa  
ætas, in quos denarii argentei dispescabantur,  
haud tamen illos offerre poterant egeni, quod  
duodecim ferè æreoli denarium argenteum face-  
rent, factum tamen est, ut qui non habebat in  
argento denarios, solveret in ære. At postquam  
hi nummi bracteati & cavi prodiere, jam omnes in  
argento solvisse *Veerlingum* magni ducebant, & suf-  
ficere posse Clerico crediderunt, quod non am-  
plius æreos offerrent, sed novos veluti denarios  
argenteos. Hoc male habuit Clerum ita secum  
agi: Sed cum tumultuantes hæc causâ nihil obti-  
nerent, querelas ad Archi-Episcopum suum Bur-  
chardum detulerunt, qui dicto Anno 1336. præce-  
pit Clericis, ut hortarentur populum, ne ejus-  
modi Veerlingos offerrent: quod quoque strenue  
exsecuti sunt, addentes diras & imprecations ex  
cathedris contra illos, qui Veerlingos offerre  
auderent. Sed ex pelvi hæc videbantur fulmina,  
nihilque terrebantur cives; atque tandem ad An-

num 1355. quando Senatus cum Capitulō in concordiam rediit, inter alia de his quoque Veerlingis ita statutum est: *Item nullus inducetur nec prohibetur ad offerendum Veerlinges, sed quilibet secundum voluntatem suam E<sup>o</sup> gratiam sibi a D<sup>O</sup> EO datam offeret, quod sibi placet, quæ videri possunt apud Lambecium l. 2. rer. Hamburg. p. 299.*

Fallitur idcirco D. Capellus quondam Gr. L. & Hist. Professor in Gymnasio Hamburgensi, referens hos nummos Hamburgensium ad Ann. 1180, vel ad quingentos à sua ætate annos, cum ederet rariora musei Becceleriani. *Quamvis enim illo tempore nummos bracteatos per Germaniam non ignoraverint, haud tamen Hamburgensis etiam in usu tunc fuisse sequitur.* Nec ullâ ratione Dn. D. Major hos nummos Hamburgenses ad Caroli M. ~~ætatem retulit cap. 48 libri, Bevölkertes Qin**r** brien/ dicti.~~ Nummos enim cavos istos ab illis temporibus cum aliis arcessit, nec ultra dimidium Seculi IX. perlituisse credit. Ego enim certus sum Seculo IX. nondum hos bracteatos in usu fuisse, & vix ante Henricum I. Angliæ Regem productos censeo, qui primus Seculo XII. & ab anno 1180. tales nmmmos resuscitavit, nostrisque regionibus dedit, nusquam antea viros in his oris, quamvis non ita manserint incorrupti postmodum, ut primo

mo ætatis flore. Et, si Hamburgenses nummulos istos cacos attentiùs considerasset Dn. Major, & urticæ folium cum tribus clavis in illo nummo dispositis, haud illam ætatem nummi Hamburgensis saltem cogitare potuisset.

Certum enim est Adolphum III. Comitem Hol-satæ post redditum ex peregrinatione Hierosolymitanâ primùm illis clavis in insignibus uti cœpisse circa Ann. 1200. mortuumquè esse anno 1232. Quo tempore Hamburgensibus nondum argenteæ monetæ cudendæ jus propriæ fuit, aut saltem novum adhuc fuit & recens. Et quamvis insigne urticæ Schowenburgensibus priùs fuisse dicant sub Adolpho I. & II. non verò probent, haud tamen cum tribus clavis fuit, qui in nummis Hamburgensium cavis satis eluent. Pertinere igitur debent illi nummi non ad Caroli M. tempora, quæ tales nummos cacos ignorarunt, sed ad Seculum XIV. ut plerique alii. Nam quod insigne urticæ Schowenburgensibus priùs sub Adolpho I. & II. fuisse judicant ab eo tempore, quo Adolphus I. Schowenburgum in monte Urticarum ædificavit; ab Anno scil. 1024. hoc nullis antiquorum Scriptorum testimoniis probatum hactenus dedere. Neque enim sequitur, quod Adolphus I. in monte Urticarum Schowenburgum struxerit, idcirco eodem tempore urticæ

folium inter insignia Schowenburgica receptum esse, & cum Leonis insigni, quod prius gessisse finguntur, Imp. Conradi II. consensu mutatum. Hæ enim meræ conjecturæ sunt Spangenbergii, nullis rationibus nec testimoniiis probatæ. Mons enim ille, Nettelenberg dictus, quin fuerit, & arcem Schowenburgensem ædificatam acceperit, haud quidem negandum sumserim. At insignia quoque in clypeos transcripta fuisse hujusq[ue] Comitatus & gentis propria ac perpetua, & hac aetate, nemo mihi facile probabit. Non enim prodierant in lucem insignia ulla Regum vel Principum Germanicorum, multo minus Comitum, sed postmodum expeditionibus in terram Sanctam invaluerunt: prout Adolphum III. eâ occasione in memoriam arcis Schowenburgicæ, in monte Urticarum exstructæ, urticæ folium, & in memoriam reigestæ in terrâ Sanctâ, tres clavos manuum ac pedum Christi, inter insignia suarum ditionum Schowenburgicarum & Holsaticarum conjunxisse cum corona spinea legimus. Ejus enim tempora insignibus primùm clarescere coeperunt, priora nequaquam. Nam si insignia prius fuissent in illâ familia & natione, etiam Holsatis sua ostendere licuisset, nec communibus cum Schowenburgo usi facile fuissent; & inficetum omnino factum dici posset, Holsatiæ

satiæ sua insignia extorquere, si ulla fuissent, & extinguere: ita ut majorem ætatem his insignibus tribuere non conveniat nec liceat. Nulla enim exempla antiquiorum insignium in his terris produci poterunt ex ulla antiquis bonæ fidei Scriptoribus, nec Adolphi III. ætatem pleraque, quæ superfunt & nunc videmus, superant; multa etiam ad inferiorem ætatem pertinent: quod alias mihi docendum sumsi. Uni igitur errori a Carolo M. in his nummis multos superstrui necessefuit: adeò ut nummi hi quoque cum urticæ folio & clavis tribus non nisi post Adolphum III. vel a Schouwenburgensibus, vel Holsatis, vel Hamburgensibus monetam & cuneum experti sint; falsique sint omnino, qui de insignibus aut nummis istis alter statuere voluerunt. Unde nec nummum illum alterum, quem produxit Dn. Major, effossum Stegæ in prædio Domini de Buchwald Holsatico, 4. milliaribus Hamburgi distante, ubi ad arborem quandam eruta est olla plena nummis his bracteatis cavis argenteis, majoris ætatis esse puto; cum etiam ostendat clavos illos in urticæ folio ad turres duas posito, ita ut Seculum xiv. superare non possit. Ejus nummi meminit etiam D. Capellus in Rarioribus Beccelrianis, & nos eum hic producimus. Hæc igitur Hamburgensibus causa nata Fig. XX.

est hos nummos bracteos argenteos adsciscendi, & ferè civitatibus omnibus, quibus jus monetæ argenteæ percutiendæ datum, ita placuit solidos dimidiatos & tertiatos his bracteis amplificare & subdividere, ut promptam haberent cives minutatim emendi & vendendi facutatem. Non autem omnibus Civitatibus in his nummulis eadem ætas: alia per aliam est edocta, quoniam singularem habent minutissimæ hæ monetæ utilitatem & facilitatem; & pulcherrimo vocabulo Danis vocantur *Skillie Mynt* / quod facile per illam cives separentur in minutis & quotidianis rebus commercandis aut distrahendis, nec ad Collybi-  
stam prius itare necesse habcant.

Easdem turbas, & maiores dederunt hi nummuli Stralsundiæ, de quibus ex Chronicis Pomeranicis *Huitfeldius* in *Chronico suo Danico* prolixè ad Ann. 1407. qui annus primus est forte, quo Stralsundenses talibus nummis cavis argenteis uti cœperunt. Sacerdos unus Stralsundensis in iniuncticias apertas contra Senatum exarsit, & relietâ urbe 30. Septembr. qui est S. Hieronymo datus, cum trecentis armatis, quos collegerat, quasdam villas extra urbem incendit, armenta & pecudes abegit, & cives palantes extra portas captos abduxit. Plebs commota ad insanos hos ausus

ausus furit, omnesque Sacerdotes & Clericos ad centum in urbe unâ domo clausos jam flammis destinârat. Sed Senatu intercedente, tres tantum in foro novo concremantur, coeteris dimissis. Hæc res civitatem sub interdicto & fulmine sacro per septem annos tenuit. At postquam hi denarii cavi prodierunt, jam ad quadrantes Sacerdotibus res redierat; unde contra Senatum insurgebant Clerici, cogere volentes, ut nummos tales revocaret, ac priores restitueret.

Id cum Senatus censeret iniquum flagitari, & regereret, esse in arbitrio cuiusvis quantum quis offerre cuperet. Sacerdoti: prout Hamburgenses olim responderant & obtinuerant: hinc ad dictas turbas Clerici profilierunt. Scriptor Pomeranicus aut Crantzius, ex quo petiisse sua videtur Huitfeldius, cum l. x. Vandal. c. xi. hanc historiam quoque referat, nihil de nummis cavis Huitfeldium monuit, nec ille nos. Sed quod triplio vel quadruplo viliorum moneram cedere coepissent Stralsundenses, hinc illas turbas ortas scribit. At ex Hamburgensi historiâ, ubi eadem fabula mutatis locis & personis acta fuit, discimus nummos illos, quod cavi sint percussi, idcirco triplio vel quadruplo minores evasisse in pretio, licet alias probitate solidis nummis nihil cederent, magnitudine vero etiam superarent.

rarent. Atque sic, quando nummi hi cavi in civitatibus cœperint, qui hodie tanto numero super sunt, constat: in civitatibus, inquam, nam Reges & Principes ante hæc Secula nonnunquam nummis his cavis una cum solidis usos esse Henrici Leonis nummus apud Meybomium, & alii jam dicti ostendunt. Crantzius quidem, dum hanc historiam narrat, diserte nummos cupreos Senatum excudisse memorat, & addit: *Tale munifica aliquando tempore a Pastore collectum, in fusilem ollam versum, quæ pro documento stabat diu post illa tempora.* Nihil detrahami fidei tanti Viri, & verum esse concedam, nummos cupreos Stralsundæ, ut in aliis civitatibus eusos esse: concedam quoque Pastorem pro abolendâ istâ monetâ cuprâ ollam exinde confici curasse: malebant enim Clerici argenteos potius denarios offerri quam æreos: unde conquisisitis istis nummis cupreis denarios argenteos sibi frequentius oblatos iri augurabantur. Senatus has machinas persentiens, denarios solidos per minores nummos cavos subdivisit, cudens tales qui dimidium denarium efficerent, qui trientem, qui quadrantem. Hoc nimis ægrè tulit Sacerdos, qui absuntis nummis cupreis, meros denarios in oblationibus exspectabat, & nunc ad tridentes & quadrantes arctari se perceptit, qui sanè non

non erant cuprei, ut docent illi qui adhuc super-  
sunt nummi cavi. Has igitur turbas **Sacerdos** in-  
frun tus dare coepit quas dedit. Et illud solūm  
peccavit Crantzus, quod historiam **nummorum**  
**cupreorum** cum illâ **nummorum** **cavorum** confu-  
dit, & unam esse credidit: sicut verò distinctæ,  
licet ex una fluat altera. Nam nummis cupreis  
remedium opposuit illud callidum, quod dixi: at  
nummis his **cavis**, quod argentei essent aut pluri-  
mum argenti contingerent, nihil potuit nisi tur-  
bas. Jam & aliam rationem addit Crantzus huic  
coepio, cur Senatus ad nummos illos cupreos  
descenderit; ne sumtus scil. funerum populo gra-  
ves essent, in **Vigiliis** & **Missis**, qui non semel  
erant **suprà vires**. Eodem res recidit; nam ut  
haberent quod darent Clericis hiantibus, licet da-  
rent minus; & hi numimi cavi argentei, & prius  
ærei illi fabricati sunt. Sciendum est enim civi-  
tatibus olim nonnisi æreolos cūdendi potestatem  
fuisse, argentam verò ut percuterent, Reges ac  
Principes nonnisi peculiari gratiâ præcipuis conce-  
debat. Hinc æreos nummos antiquiores longè  
fuisse novi, quam argenteos hos cacos. Exstant  
sanè nummi cuprei Stralsundensium, ut ex insigni  
civitatis colligitur impresso, sed solidi sunt, cavi  
nequaquam, & videri possunt apud Tho. Bartho-

linum juniores cum multis aliis in Antiquitatibus Danicis p. 486. sed cuius ætatis sint, non æquè liquet. Illos autem longè antiquiores esse illorum nummis cavis argenteis, & annum superius dictum 1407. longè etate præcedere, nunc non dubito.

Luneburgensis civitas, dum erat ex sex Hanseaticis, ejus modi nummos cacos quoque procudit, similes planè Hamburgensis, tribus item cum turribus, nullo discrimine, nisi quod loco urticæ Leonem scandentem ad dextram in portâ mediæ turris habeant. Eodem tempore Hamburgenses alios nummos cacos argenteos ejusdem magnitudinis excuderunt paulum diversos a prioribus. Habent enim non nisi duas turres, unam minorem, & alteram medium altiorem, sed loco tertiaræ turris junixerunt ad sinistram folium urticæ cum clavis suis, de quo supra paucis attigi. Meminit etiam ejusdem D. Capellus in Rarioribus Beccelerianis.


Fig.XXII. Hunc verò nummum etiam imitati sunt Luneburgenses, loco tertiaræ turris Leonem scandentem ad sinistram ponentes.

Ut verò ulterius de origine nummorum horum inquiramus, monendi sunt Lectores, varias horum bracteatorum ætates esse. Prima fuit Constantino-politanorum in Oriente Imperatorum, qui Consulibus ejusmodi nummos in argento spargendi in ludis

ludis suis Publicis concessisse videntur, ne nimirum sumtibus nimiis in solidis nummis spargendis exhaurirentur. Quare non consentio Scaligero de re nummaria dicenti se vidisse nummos ejusmodi cavos non paucos: *Non Seculi Justinianei sed vetustissimos ante lucem Christianismi.* Non produxit illos nummos & opinione suâ falli potuit, dum illos quos vidit ad maiorem æstatem retulit, quod sanè probandum ipsi erat. Ante Christianos mores sanè in nullâ gente cavos fuisse tales notavit, nec ex iis qui exstant, aut quos jactat se vidisse, illud probare potèrit, cum Christiana Secula omnino referant, non paganica. Et sanè solus est Scaliger, qui tales vidit, nos autem etiam videre possumus & judicare, ut ut Summo Viro & *Axephesætω* multum concedamus, in talibus tamen quantum hallucinentur sèpe docti Viri, non nescimus.

A Constantinopolitanis hoc genus nummorum didicerunt Gothi, qui illos in Hispaniam præprimis, secum introduxerunt, & diu servarunt, quorum aurei bracteati Runicis literis insigniti adhuc existant, & hic Hafniæ tam in Regio museo, quam in aliis Doctorum ac Curiosorum Pinacothecis versantur: eorum icones habemus apud Dn. Thom. Bartholinum Juniorem in Antiquit. Danicis pag. 4. Ad illos quoque bracteatos spectant, quæ Scheffer-

rus detribus Orbibus aureis in Scaniâ repertis commentatus est. Sed hi omnes in auro sunt; neque enim argenteos aut æreos ejus ætatis Gothicæ hactenus videre mihi licuit. Nisi quod nuper admodum effossus sit argenteus parvulus, assis Lubecensis magnitudine, in Bornholm insula ut mihi dixerunt: sed Gothicum vetustum nihil præfert, præter Runicas literas, quæ marginem in facie aversa nummi cingunt & implent: nam ex cavis non est.

Rudi sanè sculpturâ nummus hic sistitur, ita tamen, ut cognosci possit, in primo latere figura hominis, aut umbra potius: in altero Fig.XXIII latere tali cruce insignitus in medio  & lunulis dimidiis duabus vel tribus sibi obversis ad latera: sed in circuitu has habet literas Runicas, prout ego collegi:  quas interpretari non possum. Alius Vir doctus hanc interpretationem addidit: Prima facies & imago Virginis: altera crucem vel vexillum potius præbet cum his literis  Runarum quidem figura cum nostris coincidit, quæ in lapidibus reperiuntur. Sed sensum ullum nec ego nec alii elicere potuimus hactenus. Prima vox secundum nostras Runas LVNT. exprimit, quali

quasi Ludensem Archi-Episcopum intelligere debeamus.

Cœteræ literæ AONGARDVGI. præferunt, quæ mentem nullam habent. Nummus sanè rarissimus est, sed rarior si explicari posset. Hic primus est argenteus, quem ego quidem cum Runicis literis aut Gothicis excusum vidi. Et tamen antiquitatem non sapit, sed recentioris manus & cunei videtur, tum & propter crucem in medio non vulgariter expressam, sub Christianis fabricatus: quod & argentum nummi indicat, non ut antiquis purum & nitidum, sed mixturâ suâ fucatum, adeò ut ultra xv. seculum natus non videatur. Sed quâ occasione, & cur Runicis literis cusus sit, hoc est quod nos latet.

Gothicos vero Reges iis nummis aureis etiam in sparsionibus usos esse, cum ludos & spectacula ederent, prout a Constantinopolitanis didicerant & ideo tauros plerumque in iis nummis conspici, quorum ludos adhuc servant Hispani, quamvis nunc sine his nummis, aut eorum sparsionibus. Desierunt enim illæ cum veteribus Gothis. Mihi vero nummi hi Gothici bracteati occasionem derunt commentatiunculas aliquas de iis conscribere, quæ nunc in sex integros tomos excreverunt, & excrescent in plures, dum ex illis anti-

quitates omnes Gothicas & Septentrionalium explicare vel illustrare pergo.

Fig.XXIV Inter hos nummos aureos notari meretur ob peculiarem formam aurcus ille quadratus oblongus cavus : in quo nihil nisi duo homines sibi invicem occurrentes, erecti & arctè stantes ac velenuti colloquentes ; diverso habitu ; alter, ad sinistram civili ; alter ad dextram, ecclesiastico, ut videtur : nam figuræ sunt valde rudes, ut Gothicæ solent. Horum magnus numerus, ejusdem cunei omnes, simul effossi sunt, in Norvegia, & in Museis Regiis Hafniensibus inde allati servantur. Maximi, minores etiam oblongi, & nonnulli planè quadrati *ισταλευρον* ; sed omnes iisdem figuris impressi.

Ego has quadras aureas, omni chartâ subtiliores, ut infererentur orbibus aliis aureis robustioribus fabricatas fuisse credo, prout se habent illi Gothicæ nummi, quos Bartholinum adduxisse scripsi, orbibus inclusi, & ansulis prædicti, nec non orbes illi aurei Schefferi, qui non uno orbe sed tribus ambiuntur. Imitantur adhuc Indi, Sincenses & Japonenses in suis nummis : habent enim ejusmodi quadrulas argentas, quas alio argento exterius ambiente vestiunt,

Non

Non sunt dissimiles, licet rotundi, bini illi nummi aurei bracteati cavi, quos Joh. Dan. Major in libro suo *Beboldfertes Cimbrien* / c 49. p. m. 80. descripsit, quorum alter drachmæ dimidiæ pondus, aut 36. granorum, implet: alter non nisi 20. grana & unum pendit, uterque circulo suo crispato inclusus, & superius ansulâ quoque donatus: intus non quidem literas ulla Runicas, sed varios & intricatissimos ductus observo, ita tamen ut in majore nummo non desit crux illa 'Gothica' . quam in aliis nummis ejusdem *κόμητος* notavi, adeò ut ejusdem regni vel provinciæ videantur esse, cum haec tenus repertis aureis in hisce terris, quamvis omnium qui haec tenus reperti sunt, minimi ponderis sint. Major in Holstatâ quondam effossus est, minor in Fioniâ ante paucos annos. Et ex inde colligere licet, non solis figuris animalium aut hominum nummos istos signatos, sed etiam aliis ductibus & notis perplexis, quas explicare nescimus. Sed de his ulternus agere non est nostri instituti,

Illa etate verò nummorum horum Gothicorum sepulta & retrò sublapsa, prodit ex intervallo magno altera etas istorum nummorum bracteatorum in argento, Seculo nimirum XII. in Anglia, sed non propter lados aut sparrones, verum propter

pter fraudes monetariorum facilius cognoscendas adhiberi coeperunt. Ab Anglis ad omnes in Septentrione & Germania eorum argenteorum usus manavit, tanta copia, ut magnam messem hodie numerum colligere possumus non tantum spicilegium instituere. Neque enim planè adhuc desierunt. Cunduntur etiamnum tales subinde, tam in auro quam in argento. Exstat Friderici II. Regis Danie & Norweg. argenteus, qui nihil habet nisi litetam **F**

coronatam in medio, jam exsculptum inter numeros ejus a Resenio in ejus Historia quam edidit, p. 138. Christiani IV. quoque cavi reperiuntur in nummulis dimidium scillingum Danicum valentibus, puri argenti exstatque in sylloge Numismatum Danicorum Mulenii. Fridericus III. Rex Danie ~~decimam~~ sextam partem Ducati Hungarici hac cavitate extendi curavit, & tantillum auri cu neum ferre docuit. Habet enim impressum in medio **F** coronatum coronâ clausâ, & in circuitu Symbolum Regium literis ut vocant, cursivis: *Dominus Providebit.* Habemus ejus typum n. 29. Tab. xxvII. in Museo Regio edito. Hic nummus novum aliquod nomen bracteatis & cavis addidit: **Svömming** / enim dictus est, quod projectus innataret

taret aquæ, ut annotavit ad hunc nummum Dn. Olicherus Jacobæus p. 94. Musei Regii, his verbis: *Arte singulari numisa hoc, quod pondus saltem decimæ sextæ partis Ducati aurei æquat, efformatum, ♂ affabre adeò hic extensum ♂ percussum est aurum, ut aquis supernatet. Nomen ita que inde sortitus est Schwimmung/i.e. nummus natans.* Non igitur nummus hic quoad pondus suum in auro valorem sex assium Lubecensium excedit: sunt enim 6. asses decima sexta pars Ducati Hungarici, & sive in ære, sive in argento sive in auro tam tenues producantur, omnes aquis supernatabant, ut Schwimmere / pulchritè dici possint, quod datum nullus pondus & forma non mergens. Exstant & duo asses ejusdem Regis, argenti impuri, cavi, cum inscriptio NOR. VAN. GOT. REX. 1668. Sic & Christiani v. Regis duo asses Danici eadem formâ excusi, sed sine anno addito. Habent tres leones & corda novem coronâ clausâ superiùs scuto addita cum inscriptione CHRISTIAN. V. Fig. XXVI D. G. DAN.

At qui minutulum nummum æreum totum cavum, qui penes me est, a Voldemaro I. vel II. cusum mihi persuadere voluerunt quoniam litera W. in ea reperitur, nam illi seipso non minus quam Fig. XXVII. alios scellerunt. Multis rationibus obstiti, prius quam

quam ab eâ opinione dimoveri potuerunt. Nam neque in ære puro tunc temporis nummi ulli cavi culi sunt, nec nummi tam exigui, qualis est hic ipse, Regibus convenient, sed civitatibus. Jam nec litera W. inter Danicas habetur veteres, ex Germanica lingua, quorum propria est hæc litera, assumta scribentibus, cum non opus sit eâ uti, nisi in vocabulis ex Germanicâ origine profluentibus, siquidem litera V. simpliciter in Danicis idem præstat, quod W. Germanicis: ut VOLDEMAR Danorum, Germanis est WALDEMAR: Wein Germanorum, quod Latinis est Vinum, Francis & Italis du Vin, & il Vino, si Danis recte scribi debet, Viin erit, non Wijn: & sic in aliis, quod Danica scribentes parum attendunt. Deinde si quovis modo ad Regem pertinere deberet huc nummus, illud W. saltem corona aliquâ Regiâ insignitum spectaretur, non ita nudum, quæ quoniam dœst, Regii p'anè nihil habet. Atque hinc litera W. in nummulo hoc non significat Voldemarum sed Wratislaviam. Illorum enim nummi, etiam argentei, hac literâ W. exstant insigniti, ut videre licet ex Gothofr. Rhonii excrcitatione de Johannéis Wratislaviensibus. Idem sentiendum de ejusdem generis nummo æreo, sed solido, paupo majore, quam ille de quo dixi, in cuius prima

ma facie rursus nihil nisi litera W. & facies secunda crucem præfert, prout initio, nummi ferè omnes; adeo ut Angeli retinuerint nummos distinguere in Kingside, & Krosside, primam faciem appellantes Regis latus, quod Regis effigies in eo procuderetur: alteram Crucis latus dixerunt, quod ibi crucem adderent Christiani qui nummos initio cudebant.

Ad Danicos Regios adhuc pertinet alter cavus, quem mihi Clarissimus Assessor Dn. Joh. Laurentii monstravit, habens Leonem in saltu constitutum, & veluti prioribus pedibus pro tegente parvulum scutum figurâ cordis efformatum, in quo duæ træbes insignia Oldenburgica. Quæ significant Comitatum istum sub Leonè Danici regni tutò versari, & consistere. Hanc ob causam Leo majori figurâ expressus est, ut regnum integrum & amplius representans, insignia verò Comitatus minimo scuto inclusa, exiguum quidem hunc Comitatum indicare voluerunt, sed ideo cordis figurâ, ut crederent hunc comitatum Regibus Daniæ, qui exinde stemma repetunt, semper cordifore. Symbolicus igitur est hic nummus, & ad Reges Daniæ stemmatis Oldenburgici spectat. Quis autem eorum nummum procudi fecerit dicere nequeo.

Fig.  
XXIX.

Apud civitates hodie plerumque frequentiores sunt, quam apud alios: Exstant Basileensium cavi, **Räpper** dicti, cum illorum insignibus. Apud Noribergenses cavi sunt qui **Schüssel Pfenninge** ipsi dicuntur **patellarii**, quod patellam referant. Du-

**Fig. XXX.** plicem aquilam exprimunt, ea arte, ut literam **N.** in altera parte ejus membra exprimant, ut initium nominis **NORIBERGENSIS**. Tales mihi, eoque nomine Noribergâ missi sunt anno 1680. Et quamvis verum sit, hodie in signia Civitatis Noribergensis duplēcēm aquilam non referre, se dimidiam saltem cum tribus flaviis adjunctis, reperi tamen alia ejus urbis insignia aliquando obtinuisse, ut **Aquilæ** cum virgineâ facie, & aquilam bicipitem nigram, quæ quoque tria insignia conjunxit Dn. Wagenseil in nuper editâ Noribergâ suâ, & in ejus **Urbis tabula topographicâ** statim ab initio præfixâ. Legi quoque alias & vidi Aquilam hanc duplēcem inter insignia Noribergensia. At, si monente Pl. Reverendo Dn. de Mellen, Lubecensem nummum esse quis velit, non ego dissentio, quamvis illud N. in aversa parte non frustra positum & expressum dicereliceat. Argentoratenses quoque **Räpper** procul sunt cum flore lili, argenti puri, nisi malis ad Ripenses Jutiæ referre, quibus quoque lilium pro insigni fuit, in memoria montis apud ipso

**Fig.**  
**XXXII.**

ipsoſ Lilienberg dicti, in quo prima Ecclesia fundata fuit & erecta. Sunt & mihi Brandenburgenſes cum aquilâ uno capite, primus insignis magnitudinis, & purissimi argenti, facie ad dextram versâ, secundus etiam puri argenti minor, capite vero ad sinistram verso, in Gotlandia insula quondam repertus. Tertius vero ut minimus est, ita sequioris argenti, plurimum æris ostendit. Aquilam quoque habet ad sinistram respicientem. Primo melior ætas assignanda, quam Seculi XIV. esse statuo: secundus Seculo XV. tertius XVI, relinquatur.

Dannebergenses quoque nummulos teneo duplicis formæ, alterum cum cervo integro ejusque cornibus, alterum cum solis cornibus cervinis. Mediocris argenti uterque, & ejusdem magnitudinis.

Ex minimis unus est qui Leonem scandentem ad sinistram præfert in scuto, supra quod adjectæ sunt literæ capitales M. L. Z. H. Non magna est ætatis, volunt hæ literæ MAURITIUM LANDGRAVIUM HASSIÆ indicare, qui natus 1572. usque ad Annum 1632. vixit.

Illud quoque dum de bracteatis loquor, admonere lubet, non omnes bracteatos cavos esse, sed extant quoque nummi solidi adeo tenues &

**Fig.**  
**XXXIX.** exigui, ut ad bracteatos merito referri debeant, quamvis cavi non sint. Est mihi minutulus ab utraque parte cusus argenti purissimi, in cuius primo latere Maria cum puerō JESU, & in altero, Angelus alatus, aut aquila dimidia, [insigne Iohannis Evangelistæ], (nam ibi non satis distinguitur.) Ad hujusmodi nummos pertinent etiam Turcici *Aſperen* dicti, quorum 232. unum thalerrum uncialem faciunt. Non cavi tamen sed solidi, & bracteati tamen. Ad eum quoque nummorum refero, quos alias *Ἄρσηνοις* vocant, de quibus postea dicam. Nunc enim minutulos illtos prius absolvam. Vix autem credo leviorē & minorem dari illo quem Marchio Johannes Brandenburgensis priori seculo procudi curavit, minimo enim ventulo loco dimoveri potest.

Dicuntur peculiari nomine *Hahnen-Kämme* / quod galli gallinacei caput cristâ insigni uno latere præferat, & inscriptionem M. HANS. altero latere, in summo tres turres positas arqis Custrinensis & per medium 1562. annus, quo Custrinum ædificavit, & hi nummuli percussi sunt pro operario*rum* mercede quotidianâ, ut mihi retulerunt ipsi Custrinenses. Hinc est quod Henr. Spelmannus quoque in Acrīzologo suo, Saxonum Angliae nummos, licet utrinque percussos, *tenues*

*Bracteales* vocaverit, & studio tunc illam tenuitatem dicit ooservatam, ut fraudibus minor locus esset. Sed & bracteæ, licet tenues omnes, distinguuntur, quod aliæ sint robustiores, aliæ tenuiores, instar folii, unde quoque *Foliatae* non nullis appellari sueverunt: Et differimen illud vix melius repræsentari potest quam per chartam: cuius generis emporetica robustior est, quam illa tenuissima Postarum, quam hodiè utimur. Et sicut in chartarum tenuitate varia discrimina occurunt, sic quoque in his nummis bracteatis. At tenuiores ullos non vidi, quam nummulos illos quadratos, Gothicos aureos, de quibus supramonui, quod in Museis Regiis hic serventur; & in Norvegiâ reperti ante paucos annos hoc allati sunt: sunt enim tenuissimi, & parum differunt ab illo auro, quod Germani Blätter oder Buch-Gold appellant. Ad tales nummos in aërem elevandos & tollendos non opus est turbine quodam aut fortio-  
re vento, sed etiam mitissimo transferri possunt in distitum quemicunque locum. Hoc illud etiam, quod de *Αρασκηλίοις* promisi me dicturum.

De illis Leonh. Thurneisserus in Onomastico suo p. m. 44. attulit, quod ex Græco παρασκευὴ & ἄλιξ compositâ voce nomen acceperint, siquidem sol eos præparat in aere, & spiritu peculiari format, atque

atque sic in terram eos decidere faciat. Dieses  
sind guldene / ait, ganz dicke gesformirte und run-  
de / und wie ein Schüsslein holleuchte Groschen  
oder Pfennig. Sie werden guttæ Apollinis, und  
spermata Solis & Iridis genannt. Sollen von  
Krafft der Sonnen durch Wirkung influentischer  
natürlicher und elementischer Krafft / wann Sol  
die Regenbogen bescheinet / in puncto der Zusam-  
menkunft der radiorum Solis & Iridis gehling er-  
schaffen / und also formiret werden / und hernach  
herab fallen. Sie werden auch Schemeschtagin  
von der Sonnen und einer heimlichen spirituali-  
schen Präparation benahmset. Sed de cavitate  
nummorum horum , licet Thurneisserus moneat ,  
eos patellarum figuram referre , haud tamen cavi-  
tati nostrorum nummorum similes eos judicare  
licet ; quamvis illos patellas & patellarios quoque  
nominaverint quidam , præsertim quod spissos suos  
nummos esse disertè addat , quæ forma non conve-  
nit huic cavitati , quæ spectatur in nummis nostris ,  
cum illam ob ~~λεπτην~~ insignem receperint omnes .  
Unde etiam video illos , quos Reicheltus in Exerci-  
tation. d. Amuletis , ex quo hæc desumsi tab. 4. fig.  
xii. xiii. xiv. & xv. inter tales posuit , ab utraque  
parte cusoſ esse , prout omnes illi sunt , quos depin-  
gi curavit Doct. filius ille Vir , & qui amuletis apud  
ipſum

ipsum accensentur, adeò ut hanc etiam ob causam  
nummos nostros inter amuleta non possim numerare. Sed quamvis Paracelsus l. 4. de Impressionibus cœlestibus. c. 15. & Tilem. Friesius im Münz-  
Spiegelp. m. 45. multa de his nummis cœlestibus fabulentur, & fieri posse credant, ut animalibus, lapidibus & metallis imprimantur quædam figuræ ab aëre & sole, imo pluviam veré auream nubes generent & demittant, verius tamen & securius Reicheltus eruditorum sententiam sequitur, qui nummos istos tam rudibus figuris insignitos, aut Gothicos aut Vandalicos & Siculos statuerunt: nec concavitas illa, quam iis Reicheltus tribuit, quidquam eò facit, cum etiam Romani nummi aliquot talem cavitatem præseferant, quæ valde dissimilis est iis nummis, quos λεπτόντις & tenutas cavos fecit, ab uno latere cūsos solum. Addit Tilcmannus Friesius visum sibi esse nummum talem cœlestem, licet fictitum, den alten römischen Pfenningen an Form/ Gestalt/ und Silber gleich/ außerhalb daß sie gerings um spitzige Zacken wie Sternen hattēn. Dahero sie Sternen-Schoß / Asterisci, guttæ Apollinis und Iridis Flores von ehlichen genannt warden sind. Vedit ille Romanos nummos ferratos, Romano cuneo cūsos, non in aëre aut sole, vel stellarum gremio generatos, & nullos alios, Aureos

Thurneisserus illos adduxit, argenteos hic etiam Frisius memoravit. Haud naturæ contrariuni esse puto<sup>1</sup>, nummos aureos argenteos & æreos instar pluviax decidere posse ex aëre & spargi, sed generari in aëre, aut inde naturam & spiritum aliquem peculiarem istos afferre, hoc mihi nequaquam probatur. Sunt mihi ærei minusculi nummi Græci, ex iis quos Asteriscos, Sternen-Schœß / in auro & argento Tilem: Frisius vocavit, radiis suis circumdati & cincti, quos sanè manus humanæ fabricarunt, in cœlo aut aëre nequaquam nati, licet Solis & stellarum formam radiis suis præferant; hanc enim speciem & formam, quin artifices numimarii præfigurare possint, quis ambigat? adeò ut stolidum omnino sit de impressionibus cœlestibus propterea cogitare. Jam licet Dion p. m. 322. tradat, rorem argenteum pluisse sub Severo Imp. in forum Augusti; observarunt tamen hunc liquorem veré argenteum non fuisse, quoniam citò pericrit nummuque eo rore oblitæ triduo tantum colorem istum retinuerint. Ejuimodi verò pluvia à naturalibus causis non fuit aliena. Nam Solis calor temperatus in lacteum colorem aquam excoquere valuit, quemadmodum intensus calor ruborem aquis conciliare potest, ut ex febricitantium urinis etiam cognoscitur, & aquis per calidos cineres percolatis:

laris: ita ut in tali rore lacteo vel argenteo naturæ lufum vel artificium agnoscamus, argentum tamen nullum liquidum pluisse propterea statuimus.

Aliæ causæ sunt, cur nummi descendere possint ex cœlo; planè quemadmodum aliæ res, pisces, aves, mures, ranæ, lapides pluere & pluisse scribuntur plurimis historicis, ita quoque nummi. In Septentrione nostro exempla plurima talium pluviarum semet offerunt: causam nos novimus dilucidius quam reliquæ gentes. Non quia tempestates atrocissimæ & turbines hic regnum habent, idco plurimi harum rerum exempla a nobis petuntur. In Norvegiâ mures, quos Lemmifer appellant, viros aliquando decidisse novimus, existant eâ de re scripta fide dignissima.

Ante aliquot annos cum in Brabantâ & Flandriâ subsisterem, subitâ tempestate & pluviâ coortâ, ranulæ caput meum & sociorum circum volitabant, sensimus hospites ex aëre novos & collegimns: sunt in museo meo conservati, nunc pauci, paulo plures prius, nam tempus edax rerum & quod domicilium sæpe mutare coactus fuerim, multos corrupit, quod tunc juvenis eas immortalitati destinare non curaverim. Mihi jam de turbinum vi & effectibus differere non est propositum, quoniam alibi hæc

fusius tractavi. Nunc de nummis illis ἀρασκήλιοι solūm quæro an in Sole vel äere generentur, impriman-  
tur & cudantur, prout statuerunt sine ratione ho-  
mines quidam. Illud solum dico, si turbines tam vio-  
lenti incident in locum, ubi nummos quoque ho-  
mines aliquando condiderunt, quid impedit cur  
aurea eorum pluvia non descendat quoque, si non  
in sinum Danaës, in alias tamen partes terrarum ef-  
fundatur, turbine, quæ rotavit rejiciente? Sed hæc  
longè absunt ab illis generationibus in Sole & nu-  
bibus quas fingunt, cum nihil sit vanius aut falsius.  
Nec curat turbo, an illi nummī leves sint, cavi, aut  
ponderosiores, facile quos vis rotare potest, in quos  
incidit. Unde igitur illi nummi Αρασκήλιοι haētenuis  
crediti, etiam Natura juvante & teste ex aëre de-  
labi possint & effundi videmus, ut deinceps illa  
cesset opinio, quasi Sol eos progeneret aut Luna,  
sunt enim hæc valde absonta. Poëtæ quidem Græci  
etiam finxerunt Jovem aurea plnviā descendisse  
super Danaen, & super Rhodios, Minervā natā,  
quod & Homerus testatur versu hoc

καὶ σφίνθετον πλέον κατέχεντες Κρονίαν

& Claudianus l. 3. laudum Stiliconis:

Auratos Rhodiis imbres nascente Minerva

Defluxisse ferunt

At tam impudentes non fuere, ut nummos etiam  
cūsos

eufos Jovem pluisse unquam dicerent.. S. Benedicto ipsius asseclæ tribuunt quidem quod *ether pluit numismata*: ut est apud Paulum Warnefridum d. gest. Longob. l. 1. c. 26. Sed inter miracula ejus hæc recensentur. Observatio Henrici Ernstii de nummo quodam leviculo hac ratione ventis agitato & translato huc spectat: legitur in Observat. variar. l. 2. c. 20. his verbis. *Nummus nitidissimus, ♂ quem recentem ab officina dices Anno a salute humana civicxxxii. d. 22. Mart. in Archi-Episcopatus Magdeburgensis Praefecturâ Wanslebianâ, una cum grandine in horum Rustici cuiusdam ex aere descendit, quem ipse monachum cum sociis operum sustulit: ♂ jussus ad Dn. Capitanum, quem vocant, Virum Nobilem Johannem Affeburgium Ludovisi Filium in Skermke Hereditarium detulit, sancte affirmans, nullâ humana fraude eum subjectum, neque e terrâ effossum, sed presentes aliisq; nimbo illo dejectum ♂ statim a se visum. Cujus ille nummus sit haud facile divinare possumus. Esse tamen vetustæ fabricæ, & Seculi xiv. monstrat tam litera monastica C. laterè uno expressa, quæ literæ istius ferè seculi sunt. Figura est Militis five Principis scutum tenentis finistrâ, & dextrâ gladium strictum, sed valde rudiis artificiâ est ista numimi figura.*

Fig. XL. Aetatem quoque ejus monstrat Scutum triangulare, cum insignibus in illo pictis, quæ ante Seculum xiv. ferè locum non habent: Denarius Antonini Pii, quem teneo & servo, prope Viburgum in Jutiâ excepitum fodinis effossum Anno 1693. etiam illo referendus est: neque enim locus Romanis denariis in tam putido loco, ubi cespites effodiuntur, & in ejusmodi lacunis convenit, sed per turbines ac procellas ex alio loco in istas voragine delatum esse necesse est. Hęc igitur de *Aaraynios* & ejusmodi nummis dicta sunt, ut veram causam cur ex cœlo & Sole decidere soleant, tandem discant si velint.

Redeo nunc in viam, ut de nummis cavis & bracteatis pergam illorumqùv ætate: Jam vero & inter Danicos possideo unum medię magnitudinis, argenti purissimi, cum facie Dæmonis vel Deastri manstrosissimi, quasi ex Indicis, qui describuntur esset. Sed quoniam in Daniâ repertus est, etiam eò referre conveniet, reperiuntur enim ejus generis etiam minores æreoli cavi: & propterea il-

Fig. XLI. los referto, ad Archi-Episcopum Gustavum Trollium Upsaliæ Erici Filium, qui electus 1514. sediit  
XLII. a.o Ann. 1535. Trolle enim Danis dicuntur Dæ-  
XLIII. mones, & Trollia familia Nobilissima tale caput  
XLIV. Dæmonastri in suis insignibus adhuc præfert, ita  
ut

ut integrum dæmonem tetricum cervicibus amputatis inseruerint cui caput inter pedes jacet, quasi victor dæmonis fuerit primus in hâc familiâ, qui nomen & insignia der Trolsen posteris commendavit. Multum ille Trollius Archi-Episcopus in Daniâ versatus est, dissentiens a Stenone Sture Gubernatore Sueciæ. Minores illi, in quibus facies eædem monstrofæ, ore multùm diducto, lingua etiam exorrectâ, unus eorum videatur mitrâ Episcopali tectus, qui ante paucos annos 1690. effossus cum aliis fuit in Nörre Broby villâ Fioniæ insulæ. Alter & tertius etiam alibi effossi, cum coronâ impositâ caput Dæmonis habent. Qui res Danicas non morunt, nec originem rei apud ipsos monetariæ, nos ad infinitam antiquitatem rejicerent, quasi ex vetustâ paganorum officinâ numimi tales prodiissent; illorum enim erat tales Deafros sculpere, & quæ de Archi-Episcopo Trollio dixi non convenire his nummis; neque enim coronæ Archi-Episcopis imponuntur, atque sic meam opinionem illo solo indicio subverti: Deafros autem paganorum in Septentrione semper coronatos apparere, tam sculptos quam pictos, ut ex Atlantici Rudbekii, ex Antiquitatibus Danicis Bartholini, & ex Bangerto ad Helmoldum, aliisque pluribus demonstratur.

Quid

Quid si respondeam ipsas illas coronas impo-  
fitas has imagines omnes falli arguere, quod nul-  
lus paganorum talibus coronis usus sit, quales sunt  
illæ cum quibus pinguntur & sculpuntur? Quid  
si & illud addam, Reges Daniæ insignia Trollio-  
rum, primò ut mithrata essent, deinde ut coronâ  
insignirentur concessisse? Hoc enim obtinet inter  
Reges & Principes, ut bene meritorum insignia co-  
ronent. Et sane fuerunt in Dania non pauci hujus  
familiae Episcopi, quibus jus monœtæ fuisse novi-  
mus: a quibus hæc capita Dæmonum coronata in  
nummis conspicimus: nam & magnitudo & mate-  
ria nummorum istorum & cavitas ipsa sequiorem  
ætatem in iis arguunt, ac multò multoq[ue] fallere  
& falli eos animadvertere possumus, qui tales num-  
mos ad paganorum secula trahunt.

Tandem etiam illud mirari contingit, cur in  
tanto numero & usu nummorum cavorum bracte-  
atorum, nullos Italicos, Francicos, vel Hispani-  
cos, comparere videamus ejus ætatis ultimæ quam  
cavis tribui. Ad cacos tamen minutos argenteos  
pertinere videntur quatuor illi, qui a Petavio in Gno-  
rismate tab. 29. ultimo ordine & loco producti vi-  
suntur ex ejus museo: quorum primus gallum gal-  
linaceum exhibet, nihilq[ue] præterea; secundus ca-  
put & rictum Leonis; tertius Aprum; quartus verò  
caput

caput Arictis cum cornibus ejus. **Quinarii** sunt & dimidii denarii immo minoris ponderis, si cavisunt. Nihil monuit Petavius eos cavos esse, sed quia ~~fig~~ gillatim excusi sunt, nihilque in alterâ parte referunt, ut coeteri numimi solidi, hinc cavos esse fatis evinci puto. Fuerunt fortè ex iis, quos Scaliger vidit, & longè ante Christianos culos esse judicavit. **Quod** tamen concedere non licet: quamvis enim hæ figuræ Christiani nihil præferant, sed potius Romanorum signa, ursos, Leones, apes, verius tamen referri possunt ad ludos & Circenses venationes, in quibus Consules ejusmodi nummos projiciebant his figuris signatos. **Sed** de illa ætate nummorum cavorum nunc non dicam, uti nec de Gothicis, quos in Dania repertos dixi. Sunt enim illi prolixioris argumenti, & pro illis demonstrandis ac elucidandis excresceret hæc dissertatio in immensum, quibus typographos lassare nunc quidem supersedere debui. **Primus**, nifallor fuit Albertus Krantzius, qui illos *cavos* appellavit, quoniam revera cavi sunt structuræ. Audiamus ipsius verba, quæ exstant in *Saxonâ*.  
**Anno 1468.** *quatuor urbes* (Lubeca, Hamburghum, Rotiochium, Wismaria,) *paulisper levato malleo*, *quod auri nova pondera deposcebant*, *novum instituunt* *cudere numisma*, *grossos* (*nostri*  
solidos  
K

*solidos vocant) ad differentiam minoris nummi-*  
*finatis, quod CAVUM dicitur.* Haud igitur  
 cavi isti nummi pondere Grossum superabant in  
 argento, sed se habebant ad solidum, ut semis,  
 triens & quadrans, nam alii cavi aliis minores  
 sunt, atque in hoc discrimine etiamnum hodie  
 reperiuntur.

Præter hos igitur quos hactenus regensui,  
 quorumque ætatem quantum potui adjeci, & in  
 eam inquisivi, occurrunt etiamnum aliæ, sed  
 parum notæ, Episcoporum & Civitatum monetæ  
 cavæ, quas tamen describam, ut Lectores de illis  
 judicent, habeantque in quibus se exerceant, me-  
 que melius *sophizaver* possint.

Unus est Episci aut Abbatis sedentis in ca-  
 Fig. XLV. thedrâ: mitrâ peculiari is est ornatus, humili, unde Abbatem *conspicio fuisse*; qui cum procudi cu-  
 ravit, nam Episcoporum mitræ altiores sunt &  
 ampliores. Nec impedit, quod lituum Pastorale-  
 lem manu dextrâ teneat: sunt enim Abbates qui  
 & mitræ & pedi istius sancti jus habent. Sinistra  
 librum apertum ostendit. Circuitus nummi lite-  
 rarum vestigiis refertus est, quæ tamen internoscî  
 nequeunt. Anglicas illas esse & Abbatem Angli-  
 cum videre videor.

**E**tiam alius nummus Episcopi sedentis in solo, cui duæ turres adiectæ sunt adumbratur valde gracilis & juvenis, ita ut vix brachia dignoscatur habere. Ex mitra vero, dimidiæ Lunæ specie, Anglicus Episcopus & in Angliâ cusus nummus ostenditur, inscriptio adest nulla.

Fig.  
XLVI.

Conjugatur etiam alius ejusdem magnitudinis, sedens Episcopus ostenditur. Mitra similis priori etiam **A**nglicum esse nobis suggerit, singularis manibus crucem tenens quadratam elevat. Omnes puri sunt argenti.

Fig.  
XLVII.

Pari magnitudine spectatur, qui duas facies aut vulus exprimit sub unâ corona aut mitrâ comprehensos, singulis vultibus luna dimidia est subiecta: Regis & Reginæ videntur significari effigies, rudis operis, & antiquæ fabricæ, argenti satis puri, sed quo referam non habeo.

Fig.  
XLVIII.

Indicavit mihi Adm. Rev. Dn. à Mellen, esse sibi eundem nummum cum inscriptione **S. SIMON ET S. JUDAS**, ita ut hæ duæ facies sub unâ coronâ duos istos Sanctos referant; atque existimat Goslariensis officinæ hos nummos esse, quod etiam mihi placet.

Minutus argenti purissimi refert cygni collum annulum rostro ferens; alius unum cornu cervi ramis quinque præditum, incurvum stellamq; Fig. L.

in

Fig. LI.

in media curvatura recipit. Alius liliunti Francicum in sinistrâ, aquilam in dextrâ præfert, quæ linea quædam floribus ornata distinguit. Qui mihi hos nummos obtulerunt, ad Rapper/ qui dicuntur Germanis, eos trahere dixerunt: at mihi non videntur eō spectare, quod argenti purioris sint, quam Rapperis convenit.

Nomen illud Rapper/ num extra Alsatiā nummis detur, nescio: illic verò frequentes sunt, & semper inter minimos. Vetustum haud est illud nomen, ideoquæ nummi etiam hoc nomine insigniti ante Seculum xv. vel xvi. cavis non poterunt annumerari.

Fig. LII.

Nummus cavus Episcopi cuiusdam faciem solam habens mitra Episcopali simpositâ, non est nisi assis Lubecensis magnitudine, sed argenti puri. Nescio numrā & singula latera cranium humanum præfiguratum sit & infra ossa defunctorum, ut illud MEMENTO MORI ipsum oculis subjecisse dici posset, carct barbâ, ut & cœteri Episcopi quos adduxi. Aliter non nihil nummum illum pector adornavit. Germanicus aut Danicus Episcopus fuisse diceatur. Sed certius est Danicum fuisse, siquidem Episcopi Germanici majoribus bracteis πομαέυστι.

Civitatis cuiusdam nummus ille quem nunc describam esse videtur, sed non succurrat ad quam referre debeam. Scutum representat, quod à Summo ad imum est divisum, sinistra sui parte vacuum: dextrâ duas series pectorum aut globulorum habet, in qualibet serie quatuor, sibi invicem subordinatos, argenti alias purioris.

Ad Rapperos etiam pertinent alicujus civitatis scutum pariter habentes divisum a summo, cuius pars dextra vacua est & pura, sinistra tres tignos ostendit obliquos, quorum loco in altero simili numero flos quidem repere cernitur. Nec illos numeros, quo pertineant dicere licet. Nec magnæ sunt ætatis, æs enim merum translucet.

Producere possum & alium, qui faciem solam ostendit viri, & coronam in capite ejus, argenti non admodum puri.

Inter Rapperos etiam connumerant unum insignibus elegantibus notatum, in medio herba surgente, variis se floribus pandente aquilamique in medio sustinente, cui additur in dextro latere manus jurantium, in sinistro canis currens, æreus magis quam argenteus. Hunc nummum explicavit mihi Pl. Rev. Dn. de Mellen, esse eum Abbatiae Murbacensis & Luderensis. Murbacenses enim Canem, Luderenses manum jurantem in insignibus preferunt.

Fig. LIII.

Fig. LIV.

LV.

Fig. LVI.

Fig. LVII.

Fig. LIX. Tandem agmen claudat, qui leonem exprimit, caudâ b furca:â, quod Bohemicum esse hunc nummulum indicat, quibus tales Leones cum caudâ tali. Est verò æreus totus, ita ut nec spumâ quadam argenti sit obductus, ut cœteri argentum mentientes.

Sicquè ex tot exemplis & nummis qui præcedunt nihil aliud datur concludere, quam hos nummos cavos bracteatos ultimæ ætatis non ante Seculum XII. coepisse, & primum quidem in Germania fuisse Imperatorem Lotharium, Saxonem, qui hos nummos ibi produxit, quod Dno. Oleario debemus, qui nummos ejus attulit, quamvis ex Dni. de Mellen epistolâ ad Casp. Sagittarium illos hauserit, quam non vidi nec legi. Libens autem hunc nummum inspexisset, ut primum & antiquissimum inter omnes bracteatos in Germania, ut judicare possem, an ad Imp. Lotharium revera pertineret. Non abiudit descriptio Olearii, qui sedentem & coronatum, in cuius dextrâ pomum geminatum, sinistrâ sceptrum liliatum & turres additas posuit n. LXII. quæ sanè signa sunt Regiæ Majestatis & Imperatoriæ. Sed miror tamen *Imperatoris* titulum, aut aliud quid hoc significans non additum, ut in nummo Friderici Imperatoris n. XXXIV. indicatum videmus: & ex eadem formulâ LUTÆGER

ME

ME FECIT quæ in nummo n. LX. ejusdem LUTGERI esse videtur & ille, quamvis non adsint ibi insignia Regia sceptrum & ponum. Formula sane ista LUTGERUM potius monetarium fuisse hujus nummii quam Imperatorem asserit; ita in Anglicis nummis saepius & Francicis, Regis scil: effigiem præferentibus, sed nomen Monetarii, observatur, ubi FIT, Pro fecit, & FITUR pro factus est, advertere potes. Hos igitur nummos nec incuso, nec approbo, sed donec videro, & mihi offrantur, eos suspensâ manu judicioquè tractabo, & Lotharii Saxonis esse sinam, qui ab anno 1125 imperium tenuit.

Vera autem origo horum nummorum bracteatorum & eavorum, de quibus hactenus differui, & ætas petenda venit ex Angliâ, & quidem ab Henrico I. Regc. Pro quâ sententiâ meâ stabilendâ adducam locum scriptoris Anglici ejusdem ferè cum Henrico temporis. Simeonis enim Dunelmensis historia Henricum adducit Regem anno 1103. monetæ Anglicæ variis modis consulentem p. 231. m. Monetam, inquit, corruptam & falsam sub tantâ animadversione corrigi statuit, ut nullus qui posset deprehendi falsos denarios facere, aliquâ redemptione quin oculos & inferiores partes corporis perderet iuvare valeret. Et quoniam sapissimè dum denarii elige-

*eligebantur, flectebantur, rumpebantur, respuebantur, statuit, ut nullus denarius vel obolus, quos & rotundos esse instituit, aut etiam quadrans integer esset; Ex quo facto magnum bonum Regno creatum est, quia ipse Rex hæc in Secularibus ad relevandas terræ ærumnas agebat.* Ex his discimus denarios in obolos & quadrantes argenteos sub divisiones fusile, & obolos quidem, h. e. semi fuses vel semidenarios, & quadrantes denariorum tunc rotunditatem nactos esse, quam habebant denarii. Nam in Angliâ tunc temporis nondum has partes denarii rotundas viderant, aut seorsim excusas, sed quoniam cruce signati erant denarii, ea crux tam profundè sulcabit denarios, ut facile quando opus erat, dimidiā ejus partem vel quadrantem diffingere ab eo possent, & solvere. Hoc igitur dicit Henricum Regem ~~præstitisse~~, ut denarii firmiores cuderentur, oboli, seu dimidiū denarii seorsim, ut & quadrantes, rotundi prodirent ex moncta, prout denarii. At cum hoc remedium nondum sufficeret ad fraudes monetariorum impostorum eliminandos, aliud etiam remedium excogitavit, ut hos obolos & quadrantes non integros sineret, prout loquitur Hilarius. Quid his verbis intelligat Simeon Dunelmensis non explicavit. Nam quomodo non integræ essent nummi suâ rotunditate gaudentes, ad quam etiam

enati minores nummos redigit? Et obolum tunc  
 sextulam fuisse, aut dimidium denarium in argento  
 effecisse nihil persuadeo, quia obolus semper sex  
 partes totius continebat: denarii igitur sex partes  
 faciebant obolum, quemadmodum denario in  
 duodecim denariolos diviso, sex denarioli obolum  
 ingrediebantur, tres denarioli quadrantem. De  
 his igitur ratio sibi constat. At quomodo quod in-  
 tegri non essent hi denarii, oboli aut quadrantes  
 explicandum veniet? Num fracti aut dimidiati aut  
 tertiatii fuerunt? Non puto: sed quod solidi non fue-  
 rint relicti, ab utraque parte, ut prius, cusi, ideo  
 integros non fuisse significare voluit. Cavi igitur  
 & tenues fuisse dicendi sunt, denarii in suam  
 cavitatem extensi, oboli in suam in primis, &  
 quadrantes sic in suam minorem: quales profe-  
 cto argenteos cavos & bracteos majores, minores  
 magno numero adhuc reperimus purissimi argen-  
 ti plurimos, in tenues orbes extensos, passim effos-  
 pos existare, qui & denarii Anglici pondus habent,  
 & oboli, & quadrantis. Haud enim denarii inte-  
 gri pondus tunc excedebant duos asses Lubecenses,  
 quales ubique Anglicos produxerunt tunc mone-  
 tarii. Obolus itaque unus assis Lubecensis erat, si  
 puri argenti cuderentur; quadrans tertiam denarii  
 faciebat, & dimidium assis Lubecensem, qui in-

bracteas extensi majores & minores hos nummos dederunt, quos nunc videmus colligi & servari. Causa vero nos diu latuit, cur ad illam formam nummi fuerint redacti, cur ad eam tenuitatem in argento extendi debuerint. Nunc eam pulchre discimus ex his Simeonis verbis, illud nempe remedium excogitatum fuisse, aut potius ex antiquo repetitum & resuscitatum contra corruptores monetarum & falsarios insignes, ut primo intuitu quilibet deprehendere posset genuinum ac purum argentum tradi, quod illa tenuitas nummi statim ostendit, nec patitur aliquid *κιβδηλον* latere & misceri, quin statim cognosci queat. Integri autem numimi aut solidi hoc non praestant: exteriori colore quodam nos decipiunt, interiùs mille artes occultant, ut argentum cum videamus *æs possideamus nihilominus*. Isti vero nummi cayi & tenues statim se produnt; eligere meliores possumus, rejicere suspectos; nec opus erat frangere aut rumpere, aut flectere, ut in solidis probandis prius fiebat. Hoc illud est, quod Simeon Dunelmensis oculis subjicit, dum Regem constituisse scribit, ne ullus denarius aut obolus, aut quadrans integer esset. Sed ut tenues & cavi ex moneta prodirent impressi, vel Regis effigie, vel Episcopi, vel aliâ figurâ: cum quibus quoque nummos

mos illos cāvos passim reperimus, maiores, minores, minimos, quos non integros dicere licet, siquidem tenues omnino sunt, & unā tantum parte cūsi, aliis nummis solidis longē integroribus sed & corruptioribus. Hinc etiam est, *quod magnum bonum regno creatum esse hoc factō pronunciet*; fuit enim non vulgare remedium & beneficium hoc, non soli Angliæ sed multis aliis regionibus & provinciis, quæ Anglos imitatæ sunt. Transit enim statim in Daniam, in Germaniam omnem, quibus illud præfiscine placuit. Ab Henrici igitur primi tempore in Angliâ hi nummi non integri, quos bracteos & cāvos hactenus appellamus, primum deducendi veniunt, ut in usum revocati ab antiquo, quem is primus denuo introduxit, ut sic fraudibus monetariorum egregiè obviam iret. Et in his Simconem Dunelmensem nos non fallere certi sumus, qui aut vixit eo tempore, aut proximus fuit huic ætati, ita ut ignoscere possimus illi, quod in re tunc novâ, & penitus oblivioni traditâ aliud nomen invenire aut imponere non potuerit. Utinam usus horum nummorum tam diutinus foret, quam est solidorum & integrorum, nec manibus hominum obtererentur & carperentur, prout tenuibus illis evenire solet, si in usu quotidiano manent, con-

fulerem utique Regibus & Principibus omnibus, ne ullos nummos nisi cavos tales & tenues excudi sinerent, quod fraudes omnes sic decollarent, & crux perpetua monetariis fixa maneret, ut statim deprehendi possent corrupta & falsa. Posset his damnis monetæ bracteæ argenteæ satis occurri, si monete veterum Gothorum circulo includerentur; quem suaderem æneum circumdari, ne fraudes novæ ex illo circulo orirentur: posset circulo ad maximos, minores & minimos præscribi certum pondus, cum ligaturâ suâ, ut vocant, qua argento conjunguntur, ut exinde de pondere nummi argentei interioris constaret ejusque valore; sicque similes forent illis nummis, quos Itali *contornati* vocare solent. Sed hac ratione minoris tantum ponderis nummis consultum esset, qui soli in bracteas extendi possunt. Nos hodie publici commodi causâ majoribus utimur quam veteres, qui in bracteas vix extendi & ad usum transferri possunt. Sed & illis ponderosis nummis fraudes majores alimus, majora damna rei publicæ conciliamus ac inferimus: impuritatem majorem corruptoribus præstamus, cum non ita facile in tam magnis fraudes deprehendi queant. Quò minus est volumen nummi, eo minus injuriæ, damni & periculi, sed quando tenues & cavos facimus, omnes cessant fra-

fraudes, nullus locus est injuriis aut damnis, nisi quod inter manus pereant, & vix serventur: quibus aurei cavi Gothici tamen occurrerunt, dum circulum solidioris auri tenuibus istis nummis circumdederunt, qui facit, ut tales nummi etiam tenuissimi in longam ætatem custodiri possint & perseverare. Nam diu in Angliâ videntur hi nummi bracteati hæquè leges monetariæ Henrici primi perstittiſſe. Nam sub Henrico II, Rege Angliæ novam monetam proculsam ad annum 1158. Annales narrant. At in Imaginibus Historiarum p. m. §28. hæc refert Scriptor ad ann. 1153. *quod formâ publicâ percussa eadem in regno celebris erit ubique moneta.* Et nihilominus ad Annum 1158. p. m. §31. idem dicit. *Nova moneta in Angliâ.* Sic quoq; ad Ann. 1180. p. m. 6II. nobis edisserit, quomodo Philippus Aymari Turonensis a Rege vocatus in Angliam venerit, *& numismatis innovandi procurationem suscepit:* quodquæ circa festum B. Martini monetâ veteri reprobata, nummus in formâ rotundâ commerciis hominum passim sit expositus : sed quod monetariorum fraudibus nimium indulgens in patriam recesserit non sine nota male rei gestæ. Hæc omnia nummorum bracteatorum in Angliâ ævum admodum breve ponunt faſſe, quamvis non planè deinceps ceſſarit,

qui ex certis causis ad illud artificium recurrerent, ut & nos hodie solemus. Anglicos tamen nummos bracteatos admodum raros hæc res fecit, cum in Germaniâ diutius substiterit, ideoque plures illa nobis suppedirat quam reliquæ regiones. Commentatores in Aelfredum Joh. Spelmanni, de nummis Saxonum quædam præmittentes, docent Proceribus Angliæ jus monetandi fuisse, pariter ac Archi-Episcopis, Episcopis & Abbatibus; adduntque hæc verba. *Tenues autem & ferè bracteales sunt eorum nummi, utpote falsariis minus obnoxii.* Non dicunt cavos fuisse, sed bracteales, & quidem ferè; erant enim ab utraque parte cusi, ut Nidroticenses in Norvegiâ Sveri M. temporibus. Reperiuntur tamen adhuc Episcoporum nummi Anglici cavi, inter quos unus cum nomine INGELTRU apud Tho. Broderum Birckerdium Professorem Gymnasii Otthoniensis in Fiennâ, & INGELTREDUS alter, & INGELLARDUS alias apud Dn. Aslefforem & Typographiæ Regiæ Hafniensis Directorem omnes cum figurâ Episcopi sedentis. Anglica sunt ista nominâ, ideoque ad Anglicos Episcopos spectantes, non fallor. Sub nominibus Regum Anglicorum fateor me non invcnisse cavos ullos, sunt Episcoporum aut civitatum, quos vidi, interim recte se habet, falsariis

falsariis nunquam efficacius occurri potuisse quam  
in bracteas diductis nummis.

Hæc itaque mea de nummis cavis sententia  
an doctis placere possit, nescio. Nulli curæ vel  
studio pepercis, ut meliora & veriora traderem,  
in hoc tamen argumento non potui reperire ha-  
stenus quæ magis vel veritati, vel rationi conve-  
niant. Rationes enim illas & testimonia attuli,  
quæ melioribus si labefactentur, facile  
cedam.

F I N I S.

